



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**De Confessionibus Ritè ac fructuosè excipiendis Doctrinas
tam generales, quàm speciales ad varios Hominum Status
accomodatas complectens**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679


[urn:nbn:de:hbz:466:1-49251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49251)





Th. 28626

J. VII
8.









INSTRUCTIO
PRACTICA
QUINTA
DE CONFES-
SIONIBUS

Ritè ac fructuosè excipiendis

Doctrinas tam generales, quàm spe-
ciales ad varios Hominum Status ac-
commodatas complectens,

AD JUNIORUM SACERDOTUM
*potissimùm utilitatem, ac instructionem ex variis
Authoribus collecta*

à

R. P. TOBIA LOHNER,
SOC. JESU SACERDOTE.

Editio Altera.

*Cum Gratia, & Privilegio Sacrae Caes. Majestatis,
Et facultate Superiorum.*



D I L I N G Æ

Typis & Sumptibus JOANN. CASPARI BENCARD,
Bibliopolæ Academici.

Per JOANNEM MICHAËLEM SPÖRLIN.

Anno M. DC. LXXIX.

REVERENDISSIMO

P A T R I,

AMPLISSIMO PRÆSVLI,

DOMINO DOMINO,

CHRISTOPHORO

Celeberrimi & Antiquissimi


MONASTERII NERESHEMIENSIS

SS. VD ALRICI ET AFRÆ,

ORDINIS S. BENEDICTI

Abbati Vigilantissimo,

DOMINO MEO GRATIOSO.

 Dest tandem, REVERENDISSIME & AMPLISSIME PRÆSUL, honori, venerationique Tuæ tum meis, tum aliorum ardentissimis votis jam pridem destinatus; jam pridem quoque ingentibus Tuis in me, aliisque meritis debitus Libellus, tantòque avidius Reverendissimis Tuis Manibus se insinuat, quantò pluribus, efficacioribusque motivis, titulisque à TE vindicatum sese agnoscit. Si enim tres plerumque in Patronis quibus libros à se conscriptos inscribere, dedicare-

OMI
EPISTOLA

caréque solent Authores, conditiones, doctus
que requirunt; Sapiéntiam scilicet, Prudentiamque, quâ librum sibi dedicatum juxta ritum ponderent, æstimentque; Auctoritatem, dignitatémque, quâ eundem illustrent atque defendant: Benevolentiam denique, humanitatémque, quâ facilè, promptè, graciosè que ipsum excipiant, ac amplectantur; quid merità in Patronum T E hujus, quantumque tenuis, mei libelli adsciscam, ac eligam in quo omnes has commemoratas doctes perfectissimè collectas, atque expressas esse adverto.

Si enim Sapiéntiam, Prudentiamque primum desiderem, quantum utrâque polleas, & excellas, testatur imprimis tum singularis ætus, quo Literatos Viros amplecteris; tum prudentissima Crisis, quâ eorundem labores & elucubrationes dijudicare, & collaudare coeuevisti. Testatur laudabilis ille eonatus, quo ut Studiorum excites fervorem, Scholas tam Philosophicas, quàm Theologicas in Celebratissimo Tuo Monasterio non solum erexisti, verum etiam propugnatis imperio ac sumptu non semel bene longis, doctisque impressis sibus illustriores effecisti, eo sanè profectu commendatione, quem ego ipse cum venerabilibus Collegis meis semel, iterumque oculis

DEDICATORIA.

us, auritusque testis non sine insigni solatio
inspexi, atque gustavi. Testantur & ipsi Pa-
ternæ Tuæ Curæ, Vigilantiæque commissi Re-
ligiosi, qui ob raram Tuam atque perspectam
Prudentiam Te ex alieno Monasterio postula-
tum, in Abbatem suum unanimi voto atque
consensu elegerunt, & dum tam disciplinam
Religiosam, quàm Oeconomiam domesticam
præclarè à Te restauratam advertunt, electio-
nis suæ fructus singulari cum gaudio, gratula-
tionèque degustant. Testantur quoque Sæcu-
lares Tui Subditi, quos non minùs consilio &
ratione, quàm Authoritate, Potestatéque re-
gere; & non ad temporalia magis, quàm spi-
ritualia atque æterna bona, lucrâque compa-
randa adjuvare, & excitare conaris. Testan-
tur denique omnes, quibus eâdem Sapientia
Tuâ, Prudentiâque per familiarem, jucundâm-
que conversationem frui licuit, qui ad eò se eâ-
dem delectatos fatentur, ut felices se putent, si
ejusdem suavissimos fructus quàm creberrimè
degustare liceat.

Authoritatem porro, dignitatèmq; si con-
siderem, quidni eam quoque singularem, ma-
ximâmq; TIBI convenire pronuntiem, ut
quem virtutibus, quæ teste, mellifluo Doctore
Bernardo, unica, verissimâque gloriæ, autho-
ritatisque radix sunt, unde quaque ornatissi-

EPISTOLA

mum esse conspicio. Possem equidem fingere
 laudem Tuam & eximiam erga DEUM, Celi-
 tesque Religionem commemorare, quã non
 modò templorum, altariũque, quorum no-
 vem non ita pridem haud exiguis sumptibus
 erigi, ac consecrari procurãsti, ornatum &
 munditiem studiosissimè promovere, & augere;
 verum etiam, ut publica divini cultus exer-
 citia decenter, graviter ac fructuosè peragan-
 tur, non imperio magis, quàm exemplo, præ-
 sentiãque Tua efficere conaris. Possem in-
 signem Tuam in regendis Subditis Vigilantiam
 & Sollicitudinem deprædicare, quã non
 modò Religiosam disciplinam constanter, &
 efficaciter urgere, sed ad summam etiam per-
 fectionem animas curæ Tuæ commissas, consi-
 liis, adhortationibus, & exemplis provehere
 studes. Possem profundissimam Tuam intel-
 tot, tantòsque honorum gradus, ad quos præ-
 claræ dotes, & merita Tua Te evexerunt, ob-
 missionem atque modestiam commendare, quã
 ita Domesticis Tuis imperas, & præes, ut præ-
 clarum illud Siracidis monitum: *Rectorem Te
 posuerunt? noli extolli, esto in illis, quasi unus ex
 ipsis*: altissimè pectori Tuo insculptum videatur.
 Possem raram Tuam erga Externos comitatem
 & benevolentiam, liberalissimam erga Pere-

DEDICATORIA.

grinos ac Hospites hospitalitatem, profusam
erga pauperes atque egenos misericordiam ac
liberalitatem, teneram erga afflictos commise-
rationem, generosam in tribulationibus per-
ferendis patientiam, invictam inter adversos
casus constantiam, & perpetuam denique in-
ter exortas tempestates tranquillæ mentis fere-
nitatem extollere, nisi Modestia Tua Oratorum
me imitari morem cogeret, qui Pictores æmu-
lati, Rhetoricis suis verborum, figurarumque
coloribus ea solum, quæ scopo, propositoque
suo magis congrua apparent, illustrasse con-
tenti, alia omnia, quæ vel penicillo facundiæ
sue pro dignitate exprimere se posse diffidunt;
vel certè sine verecundia illius, quem prædica-
re constituerunt, propalari non posse judicant,
obducto silentii velo prudenter abscondunt. U-
nicum ergo, qui scopo meo magis conveniens
videtur, in expiandis Peccatorum mentibus
Zelum & Dexteritatem Tuam cum Venia Tua
liceat paulò apertiùs prædicare, & Junioribus,
minúsque exercitatis Confessariis, quorum in
commodum hæc Instructio præcipuè à me
composita est, atque vulgata, velut pulcherri-
mum & exactissimum Prototypum, quod imi-
tentur, proponere; si enim ii, qui Confessario-
rum munus, & dignitatem brevi quodam, &
compendioso elogio exprimere conati sunt,

EPISTOLA

non immeritò eos Samaritano, quem apud Sa-
 cratissimum Evangelistam Lucam Servator ip-
 genuinis Coloribus depinxit, similes esse; ac
 que adeò vulneratum à Latronibus infernali-
 bus, ac semivivum relictum Peccatorem non
 modò magna cum charitate, benevolentiaque
 amplecti, sed etiam accepta vulnera infuso Sa-
 cramentalis absolutionis vino, & benigna, ef-
 ficacisque adhortationis oleo curare debere con-
 tendunt; quidni TE omnes veri Samaritani,
 atque adeò etiam Confessarii partes perfectissi-
 me explevisse asseram, qui non tantum eotem-
 pore, quo ex Celeberrimo ac Imperiali Mo-
 nasterio SS. UDAERICI & APRÆ, cui per Re-
 ligiosam Professionem adscriptus fueras, ad fa-
 mosissimam, miraculisque quamplurimis illu-
 stre S. Leonardi in Liezheim Ecclesiam (in
 qua creberrima, imò assidua animorum ex-
 piandorum offertur occasio) regendam trans-
 latus es; sed eo etiam, quo ad Insulam postula-
 tus, atque in dignissimum Celeberrimi & An-
 tiquissimi Nereshemiensis Monasterii Abbatem
 consecratus es, magna cum voluptate, alacri-
 tate, ac constantia Sacrum Tribunal frequen-
 tare, & non modò Peccatores ad TE accurren-
 tes magna cum charitate, Zelòque excipere
 verum etiam eorundem vulneribus saluberrimum
 efficacis curationis vinum, oleumque

DEDICATORIA.

suavissimæ consolationis, exemplo tantò illustriori, quantò rariori, infundere consuevisti. Benevolentiam denique, & gratiosam Beneficentiam Tuam si perpendam, tot sanè, tantisque eam tum erga me, tum erga cæteros Collegas meos argumentis comprobâsti, ut ingrati animi turpissimam notam incurrisse jure merito censerî possemus, si non aliquod saltem vicissim grati, & Beneficiorum tantorum memoris animi documentum exhibere studeremus. Hanc certè ob causam potissimùm hunc **TIBI** Libellum utilitate magis, quàm tractatione argumenti æstimandum, debita cum Reverentia atque submissione dicare, dedicarèque sum ausus, minimè ambigens, **TE**, qui tanta hæcenus Benevolentiam me, atque Collegas meos es amplexus, etiam tenue hoc Opusculum Nominis Tui Amplissimi honori, venerationique consecratum pari humanitate accepturum; ita sanè & ardentè desidero, & demissè abs **TE** peto, ut, dum hunc ipsum Libellum à **TE** non tam magnitudinem ac præstantiam Operis, quàm Authoris sincerissimum affectum atque intentionem considerante, optatâ benevolentiam acceptum fuisse intellexero, non vano omine conjiciam, augurèrque, etiam illos, in quorum utilitatem, gratiamque à me conscriptus est, pari eundem benevolentia, aviditateque acceptu-

EPIST. DEDICATORIA.

cepturos, doctrinasque in eo contentas juxta pulcherrimum Tuum exemplum non sinemagno suo ac suorum Pœnitentum commodo, solatioque studiosè observaturos. Quod dum exspecto, speroque, interea, ut DEUS ter Optimus Maximus in suam majorem gloriam, Tuique Celeberrimi Monasterij, actotius Sanctissimi Ordinis Ornamentum atque Præsidium, REVERENDISSIMAM DOMINATIONEM TUAM, quàm diutissimè salvam & incolumem conservare dignetur, ex animo voto, precorque Dilingæ. Duodecimo Calendas Martij, ipsissimo scilicet Sanctissimi Patris ac Fundatoris Tui festo die. Anno post Christum natum M. DC. LXXVII.

*R. mæ & Amplissimæ
Dominationis Tuæ*

Infimus Servus

TOBIAS LOHNES
Soc. JESU.


PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quanti faciendum sit munus Confessarii, velex hoc colligere licet, quod teste Ludovico de Ponte, tantas in se contineat perfectiones, & excellentias, ut solus DEVS eas sufficienter aestimare possit; est enim Confessarius, Vicarius DEI in dimittendis peccatis hominum, est Iudex peccatorum, Ianitor seu Claviger cæli, spiritualis animarum Medicus, Pastor ovium Christi, Magister ac Pater spiritualis Penitentis. Et, ut Ioannes Bonifacius l. 5. Sapient. fruct. rectè pronuntiavit, nihil illo Christi Operario laboriosius, cui ne in communi quidem otio, & Christianorum Feriis cæterorum esse liceat otioso: nihil illo homine mundius, quæ tam spurcæ res, tantæque seditas inquinare non possit; nihil eo prudentius, quem tam multa, tamque diversa non fugiant: nihil eo amantius, qui ægrotantibus præsto est, periclitantibus subvenit, Consultoribusque respondet, quibus tota domus sæpe completur. Hæc enim Christianis ex naufragio tanquam tabula restat, quam Sacerdos officiosus & sanctus illis, qui enatant, libenter opponit, cavetque, ne qui in mare decidit, fluctibus obruatur. Cùmque, ut bene Tullius orat. 3. in Carilinam advertit, non minus iucundi sint illi dies, in quibus conservamur, quàm in quibus nascimur, profectò ad homines, quos baptismo renatos scimus, ex orci faucibus eripiendos, & peccatorum, quæ post regenerationis lavacrum mortifera commiserunt, integrâ, sincerâ, & lacrymosâ confessione sanandos promptissimi & paratissimi esse debemus, quorum expediendæ salutis in illis penitentiæ apertis commodissima ratio est, quibus tamen operam det Sacerdos, & eruditus, & sanctus. Hucusque Bonifacius. Et verò etiam ipsa experientia satis docet, nullam esse functionem, Sacerdotibus propriam, ex qua

qua

Præfatio ad Lectorem.

qua tam copiosum Fidelibus Christianis auxilium, ac solatiū oriatur, quàm ex confessionis Sacramento legitime ac prudenter administrato, ut merito quilibet Sacerdos curam animarum suscepturus, omnem diligentiam adhibere debeat in iis doctrinis, quæ ad solidam hujus muneris proxim ab experientissimis quibusque Confessariis excogitata sunt, animo, memoriæque firmiter imprimendis; quæ in finem instructio ista, non parùm servare poterit, ut non modò generalia principia, quibus se & suos Penitentes dirigere Confessarius debeat, in prima parte explicabit; sed etiam, quid in particularibus variarum periculis, & statuum confessionibus observari oporteat, in secunda parte ostendet. Quæ tamen ipsa instructio ut proprium suum felicius, certiusque assequatur, noverit benignus Lector, finem illius non esse, quòd aut novas doctrinas, proponere, aut aliquid, quod exercitatus Confessarius in munere suo rectius obeundo juvare possit, afferre cogitem; sed id unum mihi propositum esse, ut Sacerdotes, qui recentior Sacerdotio initiati sunt, & doctrinas pro confessionibus audiendis neque ipsi adhuc propria experientia didicerunt, neque libros, ex quibus eas addiscere possunt ad manum habent, in hac Instructioe velut in compendio, plerásque non reperirent duntaxat, sed modum etiam easdem in praxi applicandi propositum haberent. Hæc ergo, benigne Lector, explicatas consilii mei, & rationis placeat, approbare: Si verò utilis, gratiusque videbitur, DEVM velut omnium bonorum fontem pro hoc mecum grato animo collaudare.



PARS PRIOR.
INSTRUCTIONIS
PRACTICÆ

Generalia principia ad confessiones
ritè audiendas complectens.

Cum adeò excellens sit Confessarii munus, ut paulò antè dictum est, facile apparet, quàm æquum sit, ut Sacerdos pro eo sibi oblato gratias amplissimas DEO persolvat, quod quidem præstare meliùs non poterit, quàm si illud, ut par est, magnificiat, dotésque ad id ritè, fructuoséque administrandum necessarias, sedulò comparare studeat. Quatuor autem ejusmodi dotes, ac qualitates plerumque ab Authoribus enumerantur, scilicet potestas, virtus, scientia, prudentia, de quibus singulis seorsim in hac priori parte, per singula capita ægetur.

CAPUT I.

DE VIRTUTIBVS CONFESSARIO
NECESSARIIS.

ET si Confessarium, sicut Christi personam repræsentat, ita meritò quoque omnibus virtutibus instructum esse conveniat, sex tamen plerumque enumerantur, sine quibus difficulter officio suo satisfaciet.

Prima est *mentis corporisque integritas*, quæ vel ideò maximè est necessaria, ne, dum alios à sordibus mundat, ipse per contractas ex peccatorum auditione sordes sordefcat. Pro hac ergo integritate obtinenda studeat primò, animam ab omni non tantùm graviori, sed veniali quoque peccato deliberatè admissò liberam, mundàmque custodire. Secundò diligenter prævideat pericula, & contra ea se per efficacia media præparare studeat, præcipuè verò contra inordinatam, & nimiam cum mulieribus familiaritatem. Tertiò testem
Instruct. V. A semper

De Virtutibus Confessarii.

semper habere curet actionum, verborumque suorum Deum, & utrumque Angelum Custodem, suum scilicet, & Pœnitentis, eosque tantò magis vereatur, quantò majori auctoritate & sanctitate sunt præditi.

Secunda est *Mansuetudo*, cui ut Christi vires gerens studere debet, ut quotiescunque ad confessiones audientem egreditur, de ipso Pœnitentes dicere possint: *Eccce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi*: ut ergo hanc exerceat. 1. Errores & vitia Pœnitentium cum magna charitate & patientia supportet. 2. Tranquillè & patienter audiat confitentes, ut nimis impetuosè urgeat, ut se expediant. 3. Si increpandi sint, & puniendi, faciat id cum singulari benignitate, & commiseratione, sicut Medicus infirmum urere, & scissionibus conquire solet. Quem in finem ob oculos semper habere oportet sapientissimum Senis cujusdam dictum, qui, ut in vitis Petrum l. 5. c. 15. legitur, dicere solebat: Si quis cum humilitate injungat Fratri aliquid facere, sermo ipse, qui propter DEVM egreditur, facit Fratrem illum subjectum existere, & implere, quod fuerit imperatum. Si autem quis voluerit jubeere Fratri, & hoc non secundum timorem DEI fecerit, sed contra per auctoritatem volens sibi in eo potestatem descendere, DEVS, qui videt occulta cordis, non permittit eum audire, vel facere, quod jubetur. Quod à DEO est, cum humilitate & obsecratione imperatur; quod autem ex potestate, cum furore & perturbatione, utpote quod à maligno est. 4. Si de ipso Pœnitentes sinistrè loquantur, patienter id ferat, atque dissimulet, & pro iis ferventiùs, quàm unquam id priùs fecerat, oret, sicque carbones ignitos congerat super capita contritæ.

Tertia virtus *Humilitas* est, quæ indiget Confessarius, ut gratiam ad hoc Sacramentum administrandum perquam necessariam (quæ teste Apostolo humilibus potissimum obtinetur) obtineat: tum ut se à superbix, quæ ex comparatione sui cum Pœnitentibus facillè oriri solet, tentatione custodiat. Itaque 1. ex corde seipsum despiciat, & omnibus Pœnitentibus inferiorem ducat, illud pii Ascetæ semper in mente habens: Non nocet, si omnibus te supponas; nocet autem maximè, si vel uni te præponas. 2. Semper sibi diffidat, & pavidus hoc tribunal accedat, memor illius sententix: *quis existimat stare, videat, ne cadat*. 3. Quantum sibi diffidat,

De Virtutibus Confessarii.

dit, tantum ex opposito confidat DEO, & gratiæ vocationis
suz. 4. Deponat omnem respectum humanum & timorem
contemptus apud Pœnitentes subeundi, sed potius optet ob
vile beneficium nullam aliam mercedem ab ullo homine re
ferre, ut tanto magis DEO placere possit. 5. Divinæ vo
luntati se perfectissime subijciat, atque conformet, &, quid
quid DEVS aut cum ipso, aut cum Pœnitentibus ordinaverit,
cum magna animi tranquillitate accipiat.

Quarta virtus *Charitas* est, quam præcipuum instrumen
tum ad Pœnitentum animos sibi devinciendos ducere, atque
adeò illud S. Augustini semper in mente habere debet: *Dili
ge, & fac, quidquid vis: radix sit inius dilectionis, non potest de
ista radice non bonum procedere.* Ut autem perfecta sit hæc
Charitas, omnes dimensiones habere debet. Et primò qui
dem esse *alta*, ut, quandoquidem DEVS potissimum per pec
cata offenditur, etiam Confessarius hoc motivo erga peccata
exardescat, atque adeò omni modo ea in Pœnitentibus extir
pare studeat. 2. *Profunda* esse debet, ut scilicet, quantum
est ex se, conetur omni modo eripere Peccatores à gravissimo
Dæmonis iugo, & inferni tormentis perpetuò duraturis, sic
que suum erga eosdem Dæmones odium ostendat. 3. *Lata*
quoque esse debet, id est, ad quosvis homines, pauperes æquè ac
divites, ignobiles æquè ac nobiles, graves æquè ac minus gra
ves Peccatores se extendens. 4. Denique *Longa* esse debet,
tum per constantiam in molestiis, quas hoc munus plurimas
continet, alacriter perferendis; tum per longanimitatem in
ipsa Pœnitentum emendatione patienter expectandâ. Qua
rum omnium dimensionum perfectissimum exemplar in Cha
ritate Christi Confessarius reperiet, ad quam proinde frequen
ter oculos mentis reflectere, dictamque sibi illud Exod. 25.
existimare debet: *Aspice, & fac secundum exemplar, quod tibi
monstratum est.*

Quinta virtus *Iustitia* est, quâ conferat absolutionem di
gnis, & indignis neget, cogatque etiam Pœnitentem, ut fa
ciat, & restituat, quod ex iustitia debet. Atque hæc virtus
tanto magis est necessaria Confessario, quanto majus pericu
lum ipsum ipsi, tum Pœnitenti ex ea neglecta imminet, & quan
tò turpius est Confessarium, dum alios ad iustitiam hortatur,
ipsūmet injustum fieri.

Sexta virtus *Oratio* est, quæ veluti scuto se, suumque Penitentem adversus Dæmonem, aliósque hostes defendat, & mûlque auxilia utrique ad suas partes rectè obeundas necessaria, à liberalissimo DEO impetret, quod quidem, quæ ratione fieri debeat, infra dicerur.

CAPUT II.

DE POTESTATE CONFESSARII.

TRiplicem Confessario potestatem necessariam esse, rectè Joannes Polancus in suo Directorio notavit, scilicet potestatem Ordinis, Jurisdictionis, & Exercitii seu Usûs.

Potestas *Ordinis* est facultas, cuiusvis Sacerdoti concessa, ut peccata per confessionem legitimam explicata remittens; hanc enim Christus Joan. 20. dedit, dum dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Porro hanc potestatem solis Sacerdotibus convenire, expressè definivit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6. & can. 10.

Altera potestas *Jurisdictionis* est autoritas quædam in alium ut subditum, in quem in foro interno accipit potestatem distinctam à potestate Ordinis; quæ potestas à deo necessaria est ad remissionem peccatorum obtinendam, ut sine ea omnino in valida sit absolutio, uti apertè indicat Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. his verbis: *Quoniam igitur natura, & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditis tantùm feratur, persuasum semper in Ecclesia DEI, & verissimè esse Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet Jurisdictionem.* Est autem ordinaria jurisdictio, quam habent ii, qui ex vi proprii officii curam animarum habent, ut Papa, Archiepiscopus (respectu subditorum suorum Episcoporum, quando actu visitat) Episcopus, Parochus, Archipresbyter, Archidiaconus, Prælati Religionis, Vicarius perpetuus Episcopi aut Parochi. Delegata dicitur, quæ datur ab eo, qui habet ordinariam Jurisdictionem; & talem potestatem ex jure communi habet quilibet Sacerdos ad quemvis in articulo mortis absolvendum (saltem si Parochus aut proprius Sacerdos non sit præsens) ex

De Potestate Confessarii.

consuetudine verò ad absolvendum quemvis, qui venialia duntaxat, aut mortalia aliàs jam confessa confitetur. Unde patet jurisdictionem istam esse in triplici differentia constitutam. 1. Latissimam, quæ ad omnes in articulo mortis constitutos se extendit. 2. Minus latam, quæ ad omnes venialia duntaxat, aut mortalia jam semel confessa explicantes, & speciali lege (qualem habent Moniales, & quorundam Ordinum Religiosi, qui assignatis duntaxat Confessariis confiteri possunt) non adstrictos se extendit. 3. Strictissimam, quæ ad solos eos se extendit, in quos habet jurisdictionem vel directam ab Ordinario vel Parocho concessam: vel indirectam, quales sunt, qui facultatem eligendi Confessarium habent, uti ex jure habent omnes in Episcopali dignitate constituti, & Prælati exempti; ex consuetudine verò Cardinales, Pastores, aliique Sacerdotes sæculares.

Tertia potestas *Exercitii* seu *usus* est facultas proximè expedita ad audiendas confessiones, atque adeò omni vinculo excommunicationis, suspensionis, vel irregularitatis carens. Inter quæ vincula meritò etiam defectus approbationis legitime numeratur, uti ex Concilio Tridentino sess. 23. c. 15. colligitur, ubi sic loquitur: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolventi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones, secularium etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis necessarium esse videbitur, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacunque etiam immemoriali non obstantibus.*

CAPUT III.

DE SCIENTIA CONFESSARII.

TRiplex communiter in Confessario scientia requiritur, nimirum *Potestatis*, *Juris*, seu obligationis, quam habet, & *Facti*, quarum quælibet, cum ampla satis sit, per distinctos §§. seorsim explicanda est.

De Scientia Potestatis.

Qu. 1. Quid ad scientiam potestatis requiratur? R. Scientia. 1. Ut sciat, quas Personas absolvere possit. 2. Ut sciat, à quibus peccatis Personas sibi subjectas absolvere queat. 3. Ut notos habere debet casus reservatos in Religionibus, Episcopatus, aut etiam ab ipso Pontifice. 4. Ut sciat, à quibus censuris absolvere possit; hinc nōsse debet excommunicationes, suspensiones, saltem frequentius occurrentes. 5. Ut sciat, quam potestatem dispensandi, aut commutandi habeat, sive in votis, sive in juramentis, sive in jejunio, sive in Casibus matrimonialibus, sive denique in ipsa irregularitate.

Qu. 2. Quas Personas possit absolvere Confessarius approbatus? R. Ex dictis priori capite facillè colligi, eum 1. in casu necessitatis, seu in articulo mortis (qualis censetur omne periculum probabile vitæ amittendæ) posse omnes omnino Fideles absolvere. 2. Validè etiam absolvere posse omnes peccata venialia, aut peccata jam semel confessa asserentis. Dixi tamen *validè*: quia licitè non potest audire eos Religiosos, qui vel peculiaribus legibus, vel præceptis Superiorum adstringuntur ad confessionem certis personis faciendam. Hæc tamen facultas, ut Suar. to. 4. tr. 8. c. 19. n. 5. docet, implicite concessa supponitur, quotiescunque Religiosus extra monasterium mittitur; tum quia, qui unum concedit, deditur etiam alterum concedere, quod moraliter necessarium est, ad illud convenienter exercendum; tum quia universalis consuetudo ita videtur interpretari Prælatorum voluntatem. 3. Extra hos casus neminem eum posse absolvere, nisi in quem ordinariam, vel certè delegatam potestatem, & Jurisdictionem accepit.

Qu. 3. A quibus peccatis Confessarius ordinariam potestatem habens absolvere possit? R. ab omnibus, quæ non sunt legitimo Pœnitentis Superiori reservata. Porro ut quoad hoc caput officio suo satisfacere possit, sequentia circa casus reservatos scire, & bene notare debet. 1. Quinam casus reservati sint respectu Secularium, Clericorum, & Religiosorum; nam diversi plerumque respectu horum statuum casus reservantur. Et respectu Secularium quidem, qui casus in unàquaque Dis-

cessi reservati sint, plerumq; in Ritualibus Diœcesanis indica-
 tur; sic v. g. in Rituali Augustano notatur, solum homici-
 dium voluntarium, & peccata excommunicationem Pontifi-
 ci non reservatam annexam habentia reservata esse. Respe-
 ctu Clericorum plures plerumque casus reservantur, qui & ipsi
 ordinariè in Ritualibus enumerantur, uti iterum videre est in
 Rituali Augustano, ubi isti nominantur: Incestus cum Monia-
 li professa, cum Cognata vel Affine in primo vel secundo gra-
 du, Veneficium, Incantationes magicæ, Maleficia, Abusus
 SS. Eucharistiæ & sacrarum Reliquiarum ad artes magicas,
 Violatio sigilli Confessionis Sacramentalis. Respectu Reli-
 giosorum denique Clemens VIII. solos sequentes ab ordina-
 riis Prælati reservari permittit. 1. Veneficia, Incantationes,
 Sacrilegia. 2. Apostasiam à Religione, sive habitu dimis-
 so, sive revento, modò extra septa monasterii, aut conven-
 tûs egressio fiat. 3. Nocturnam ac furtivam egressionem è
 monasterio. 4. Proprietatem contra votum Paupertatis,
 quæ sit peccatum mortale. 5. Juramentum falsum in judi-
 cio regulari. 6. Procuracionem, auxilium, seu consilium
 ad abortum faciendum post animatum factum, etiam effectu
 non secuto. 7. Falsificationem manûs aut sigilli officialium
 monasterii aut conventûs in quantitate, quæ sufficiat ad pec-
 carum mortale. 9. Lapsum carnis voluntarium opere con-
 summatum. 10. Occisionem, aut vulnerationem, seu gra-
 vem percussionem cujûsque personæ. 11. Malitiosum im-
 pedimentum, aut retardationem, aut apertionem literarum
 à superioribus ad inferiores, vel ab his ad superiores. Qui
 omnes casus, licet Clemens permiserit eos reservari, non tamè
 in omnibus Religionibus sunt reservati; sed pauciores vel plu-
 res, prout ex constitutionibus particularibus cujûsque Reli-
 gionis colligi debet; in Societate Jesu tamen, non solùm
 omnes hi enumerati casus, sed etiam alii ex speciali summo-
 rum Pontificum privilegio sunt reservati. 2. Scire debet,
 quando incurrantur hi casus, scilicet quando prodeunt in a-
 ctum externum, & sunt peccata mortalia, & quidem certa, &
 non dubia duntaxat (nisi expressè etiam hæc reserventur) imò
 neque tunc etiam reservari censentur, si non committantur,
 sicut per verba casum significantia expressum est. 3. Scire
 debet, quomodo se gerere debeat in actuali absolutione, sci-

licet, quòd, si gravis necessitas non urgeat (qualis foret, & confessio sine gravi scandalo, infamiâ, aut alio damno penitentis differri non posset) non facilè debeat ipsum absolvere: etsi enim non desint Authores, qui doceant, semper Penitentem indirectè & cum onere se sistendi absolvi posse, rectè tamen, securiùsque Confessarius sequitur communem sententiam, quæ negat id fieri posse, nisi necessitas gravis adsit, quæ enim omnino eum poterit dicto modo absolvere, & de onere se sistendi admonere.

Qu. 4. *Quid circa potestatem absolvendi à Censuris servanda beati Confessarius?* R. quatuor potissimum capita ei scienda esse. Et 1. quidem scire debet, quænam sint potiores, & magis usitatae excommunicationes, quæ quidem ad tres species revocari possunt. 1. Ad eas, quæ in Bulla cœnæ continentur, inter quas faciliùs occurrere possunt Hæresis (quæ comprehendit etiam Fautores, Receptores, & Defensores Hæreticorum, uti & eos, qui libros Hæreticos legunt) deinde excommunicatio lata in eos, qui Personas Ecclesiasticas ad hunc tribunal trahunt, & decreta faciunt libertatem Ecclesiasticam violantia; item ea, quæ lata est in eos, qui Jurisdictiones, fructus, & redditus Personarum Ecclesiasticarum intrudunt, & alia onera ipsis aut eorum bonis imponunt. 2. Extra bullam cœnæ ex reservatis Pontifici usitatioribus sunt sequentes, videlicet quæ lata est in percussores Clericis, si etiam sit percussio; in Religiosos habitum temerè dimittentes; in Simoniacos reales circa Ordinem; in Simoniacos consiliales: in Incendiarios publicè pro excommunicatis decontumaciatos: in committentes duellum, & ad id cooperantes (quæ excommunicationem à Tridentino Concilio pro duellis publicis decretam licet Gregor. XIII. & Clemens VIII. etiam ad privata extenderint, Layman tamen l. 3. de just. tr. 3. p. 3. §. 5. n. 4. putat, Germanos videri posse ab hac posteriori constitutione excusari, eò quòd promulgata non sit, aut saltem in usum non deducta,) in eos, qui sepeliunt Hæreticos in loco sacro: in sacrilegos, qui non solum infringunt Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, sed etiam bonis suis spoliant: in Religiosos administrantes Laicis Sacramenta Baptismi, Matrimonii, Extremæ unctionis, sine licentia Ordinarii vel Parochi, vel privilegio Pontificio: in ingredienti Monasteria Mo-

De Scientia Confessarii.

ialium sine licentia: in impediētes aut vexantes eos, qui volunt ingredi Religionem: in Moniales professas sine gravi causa monasterio exeuntes. 3. Ex non reservatis Pontifici usitatores sunt latae in Religiosos habitum suum tempore longo & temerè dimittentes: in contrahentes matrimonium in casibus prohibitis: in cogentes ad matrimonium aut feminas in monasterium: in saeculares Dominos prohibentes subditis, ne Ecclesiasticis sua bona vendant, aut ab iis emant, aut alia praestent officia: in procurantes abortum fetus animati. 4. Excommunicationes Episcopis reservatae sunt variae, quas Confessarius poterit ex Ritualibus Diacesanis cognoscere.

II. Scire debet Suspensiones usitatores, quales sunt, quae lata est in Parochos jungentes sponso alterius Parochiae; in occupantes bona Praelati defuncti, in Religiosos introducētes mulieres in monasteria; in exercentes Sodomiam (quae tamen juxta Filliutium & alios sententiam declaratoriam requirit) in publicos concubinarios, de quibus etiam sententiam declaratoriam requiri putat Tann. to. 4. d. 3. q. 4. n. 97. Irregularitates, & Interdicta quod attinet, cum rarus eorum fit usus, nihil hic specialiter addendum videtur, ultra ea, quae plerumque in compendiis casuum, aut ab ipsis Autoribus Theologiae moralis annotantur.

III. Scire debet causas excufantes ab Excommunicationis incurfu, quae quidem ad quatuor potissimum revocari possunt. Prima est, quando peccatum, cui alioquin annexa est censura, non est mortale. Secunda. quando adest ignorantia non crassa, vel non recordatur Peccator suo peccato annexam esse censuram. Tertia, si peccatum non prodit in actum exteriorem, aut non est plenè consummatum. Quarta, si lex de censura in aliquo loco vel non sit legitimè promulgata, vel certè omnino non acceptata.

IV. Scire debet, quid circa actualem absolutionem ab excommunicatione observare debeat, scilicet 1. ut sine gravi causa non absolvat extra Sacramentum Pœnitentiae. 2. Ut in absolutione diligenter servet modum in Rituali, vel si Religiosus est, in sua Religione praescriptum. 3. Ut, cum habeat potestatem in foro tantum interno absolventi, moneat de hoc Pœnitentem, atque ad eò hortetur, ut in foro externo se pro

excommunicato habeat. 4. Ut, si quis ob gravem offensam aut injuriam alteri illatam incurrit excommunicationem non absolvatur prius, quam parti læsæ satisfaciatur, vel censuræ juret, se, quàmprimùm poterit, satisfacturum. In aliquibus Ritualibus, ut Augustano, præcipitur etiam, ut, si criminosus quod in excommunicationem incidit, grave sit, Juramentum exigatur à Pœnitente de parendo mandatis Ecclesiæ, quod si fieri non poterit pro tali causa: ac præcipuè ne deinceps delinquat contra illum canonem, vel decretum, contra quod faciendo censuram incurrit.

Qu. 2. *Quid circa dispensationem in causis matrimonialibus observare debeat Confessarius.* R. 1. Scire ipsum debet, quando Episcopus in causis matrimonialibus dispensare possit, ut cognoscat, an ad ipsum pro dispensatione recurrere possit, an verò ad summum Pontificem debeat. Sciat ergo Episcopus dispensare posse in omni matrimonio contracto cum impedimento dirimente, si impedimentum sit occultum, & separatio conjugum non possit fieri absque gravi jactura famæ, aut scandalo, aliòve magno detrimento; & præterea etiam non sit facilis recursus ad S. Pontificem. Et si verò Doctores communiter etiam bonam fidem requirant in tali casu, Henriquez tamen & Moscosus apud Dianam p. 7, et l. re. 18. putant, eam non requiri, cum, si Pontifex ipse dispenset, ea non requiratur; Episcopus autem in sua Diocesi potest, quidquid Papa in toto terrarum orbe potest. Porro impedimenta, quæ excusare possunt à recursum ad Papam, hæc numerantur à Diana p. 5, tr. 9, re. 58. 1. Periculum mortis in genere, c. si quis suadente de sent. excomm. 2. Infirmitas longa etiam non periculosa. ex cap. quod de his de sent. excomm. 3. Paupertas, cap. ea noscitur de sent. excomm. 4. Ætas sive senilis (ut habetur in dicto cap.) sive in pueris, cap. quamvis. eodem titulo. 5. Sexus fœmineus, cap. mulieres eodem. 6. Subjectio Filii familias & Servi ad Patrem & Dominum, quando sine eorum præjudicio Papam appellare non possunt, cap. relatum. eod. 7. Cura animarum temporale Dominium, quando subditorum detrimentum metur, cap. ne pro dilatione de pæn. & remiss. 8. Debilitas in viris delicatis, qui labores itineris sustinere non possunt, cap. etiamvis cit. aut etiam debilitas in membris, in cæco, re. 1.

plendo. cap. ea noscitur cit. 9. Quodlibet aliud, quod iudicio prudentis censetur impedimentum legitimum. Notandum verò circa hæc ulterius, quòd Diana p. 4. tr. 4. re. 58. doceat cum Hurtad. contra Bonacinam, eum, qui excommunicatus est, & absolutionem à Papa per Procuratorem, vel Episcopum impetrare potest, non autem per seipsum, non teneri ad eam tali modo procurandam; item non obligari ad Nuntium Pontificis adeundum, si possit, uti idem Diana p. 5. tr. 9. re. 6. §. not. contra Bonac. docet, quæ etiam suo modo videntur dispensationi in nostro casu applicari posse.

Re. 2. Scire ipsum debere, quomodo se gerere debeat, si Episcopus adiri ob certas causas non possit, sed charitas aut aliæ causæ suadeant, dispensationem Româ esse petendam, scilicet quòd 1. operam dare debeat, ut omnes circumstantias casus bene cognoscat ab iis, quorum negotium gerit, easque in suis literis, quibus dispensationem petit, bene exprimat. 2. Ut, si litteræ dispensatoriæ afferantur à Pœnitente, vel ipsi Confessario mittantur, à superiore suo facultatem eas aperiendi petat, (si ipse eam facultatem non habeat) aut certè alteri ad hunc finem idoneo offerat aperiendas, & executioni mandandas. 3. Ut, si in literis dispensatoriis jubeatur de causa dispensationis inquirere, an subsistat, diligenter id faciat, nisi priùs ipsi jam perfectè nota foret. Hæc tamen in parte soli Pœnitenti fides est adhibenda, nec testes requiruntur. 4. Ut Pœnitentem in Sacramento Pœnitentiæ (si ita requiratur in literis, sicut ordinariè contingit) absolvat, & quidem adhibitâ formulâ, quam Rituale Romanum requirit, & est hæc: *Absolvo te à peccatis tuis, & eâdem auctoritate declaro, te in dicto matrimonio manere, & debitum conjugale reddere posse, & debere: nec non dispensato tecum, ut idem debitum etiam licitè exigere valeas. In nomine Patris &c.* 5. Ut, si jubeatur commutare votum v. g. castitatis, aut religionis (per quod à matrimonio, aut debito petendo arcebatur) in frequentiam Confessionis Sacramentalis, videlicet singulis mensibus semel, vel, quoties videbitur, peragenda, & alia pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur (uti ordinariè in hujusmodi literis imperatur) diligenter attendat ad circumstantias Personæ, & alias hujusmodi, ne Pœnitentem nimis gravet.

gravet.

graver. Sotus putat, etiam opera aliàs debita præscribi se. Ferdin. de castro censet, etiam bimestrem confessionem sufficere propter adjunctam particulam: quoties tibi videtur. 6. Ut moneat Pœnitentem, si votum castitatis, aut religionis habuit, dispensationem quoad hæc vota tantum in ordine ad hunc effectum, ut legitimè matrimonium contrahere, & in eo postea debitum licitè exigere & reddere possit, atque adeò si extra conjugium exerceret actum luxuriosum peccaminosum mortaliter, contra votum peccaturum. Inde verò si alteri conjugi supervivat, antiquo suo voto denuo obstrictum fore, nisi dispensatio denuo petatur, nisi in initio in perpetuum sit data. 7. Ut non det testimonium Pœnitenti, cum dispensatio hæc tantum in foro conscientie fiat, pro quo nullum testimonium requiritur; unde nec litteræ dispensatoriæ reddendæ, sed lacerandæ, vel comburendæ sunt; alioqui excommunicationem majorem incurrunt.

Qu. 6. Quid circa dispensationem in petendo debito observandum sit Confessario? R. Duo potissimum bene advertenda. Primum est, ut bene cognoscere studeat, in quibus casibus incurratur, vel non incurratur talis pœna: Et 1. quidem incurratur, si unus conjux cum consanguinea, vel affini alterius conjugis copulam exercuit; item si ante matrimonium voto religionis vel castitatis fuerit obstrictus. Non incurratur 1. Quando ignorantia à malitia incestus excusatur. 2. Quando uxor per violentiam cognoscitur à consanguineo conjugis. 3. Quando periculum est, ne propter talem petitionem alteri conjugi nimis odiosum efficiatur. 4. Quando timet conjux, ne, si non petat, consors in cognitionem sui criminis veniat, & gravis inde discordia orietur, quæ omnia docet Layman d. 5. tr. 10. p. 3. c. n. 15.

Secundum est, ut in ipsa praxi hujus dispensationis diligentia observet. 1. Bene intelligere studeat circumstantias actûs, ne sibi aut Pœnitenti frustraneos scrupulos debito non petendo faciat. 2. Ut, si opus non sit dispensatione, sed sine ea videatur conjux servare votum suum, aut pœnam non petendi debiti subire, non facilis sit dispensatione, ne lex Ecclesiastica suo fine privetur. 3. Ut moneat Pœnitentem, dispensationem in debiti petitione obstrictum prius editum amissâ eatenus tantum illi servire, ut

ventē conjugē petere debitum possit, non autem, ut post mortem illius sine nova dispensatione contrahere possit aliud matrimonium.

Qu. 7. *Quid in dispensatione circa vota observandum, aut secundum sit Confessario?* R. Sequentia bene discenda, memoriaque imprimenda esse.

Primum est, in quibus casibus Episcopus dispensare possit in materia Pontifici reservata. Nimirum 1. cum valor voti est dubius. 2. Cum dubia est reservatio voti. 3. Cum adiri non potest Pontifex, & urget necessitas dispensandi. 4. In modo v. g. ut equo quis possit peregrinari, qui vovit se pedibus eam peregrinationem peracturum, vel, ut differat aliquamdiu, vel ut laxiorem religionem ingrediatur. 5. Cum Pontifex mutavit reservatum casum in non reservatum. Ita Layman. l. 4. tr. 4. c. 8. Fill. & alii communiter.

Secundum est, quæ vota reservatis quidem similia, à parte rei tamen reservata non sint. Talia sunt 1. votum castitatis ad certum tempus, Sanch. Palud. Navarr. Sotus apud Laym. l. c. n. 8. 2. Votum castitatis conjugalis, nisi annexum sit Ordini militari. Sanch. l. 8. de matr. §. 9. n. 6. 3. Votum non petendi debitum S. Anton. Vivald. Saa. Henriq. apud Laym. l. c. 4. Votum non fornicandi. Nau. Less. Sanch. ibid. 5. Votum non nubendi Sanch. Henriq. Val. ibid. 6. Votum sacri Ordinis suscipiendi. Arriag. Less. Saa. Henriq. Suar. Azor. ibid. 7. Votum castitatis promittendæ. Suar. Sanch. ibid. 8. Votum ingrediendi religionem strictiorem, Sotus, Sylv. Nau. Azor. Less. Sanch. 9. Votum metu justo exortum. Angel. Nau. Rodriq. Sanch. Less. contra Suar. ib. n. 11. 10. Votum alternativum, cujus altera pars reservata non est, v. g. voveo, me Romam peregrinaturum, vel 50. florenos pauperibus daturum; in tali casu enim, cum iuxta regulam 20. juris, n. 6. in alternativis debitoris sit electio, & sufficiat alterutrum impleri, tale votum determinatè non erit reservatum, ut Suar. Sanch. Less. Azor. & alii ib. n. 12. docent. 11. Votum, quo conjuges sub conditione continentiam v. g. nisi proles mascula ante parentes obbeat. Laym. n. 15. Secus est, si absolutè voveant, tunc enim reservatum esse, probabilius docent Nav. Syl. Rodriq. Saa, & alii communiter contra Majorem & alios nonnullos.

Ter-

Tertium est, quænam sint iustæ causæ dispensandi in
 tis ejusmodi, nempe 1. Deliberatio non sufficiens. 2. Ten-
 ætas. 3. Passio nimia in vovente. 4. Periculum lapsus.
 Difficultas superveniens adimplendi. Ita quoad omnia Lay-
 m. l. 4. tr. 4. n. 4 & alii.

Quartum est, quænam accidentia faciant omnino con-
 gni votum, videlicet 1. Si tempus elabatur, intra quod
 executio promissa est. 2. Si cesset causa finalis voti.
 materia mutetur, id est, ex possibili impossibilis saltem
 liter, ex licita illicita, ex honesta indifferens, aut majoris
 impeditiva efficiatur. 4. Si impedimentum perpetuum
 perveniat, materiãque voti talem efficiat, ut prudenter
 sumi possit, voventis voluntatem se ad talem materiam
 extendisse. 5. Per superioris aut alterius voluntatem
 tantem, vel dispensantem, vel commutantem.

Quintum est, quænam valorem voti impediunt, videlicet
 1. Etatis defectus nondum sufficiens ad peccatum mortale.
 2. Defectus deliberationis plenæ. 3. Injustus metus
 sus ad votum extorquendum. 4. Error circa substantiam
 conditionem substantialem, aut causam finalem. 5. Mala
 riã legitimæ defectus, puta, si non sit honesta, aut de ma-
 ri bono.

Qu. 8. Quid circa commutationem votorum observandum
 B. In hac materia Confessarium per sequentes regulas dis-
 gere se posse. Prima est, utiliùs & securiùs est commutare
 vota, quàm dispensare; quia rarò adest causa sufficiens
 dispensatione. Secunda. Consultiùs est, non tamen necesse
 fariùs, ut vota realia in realia, & personalia in personalia
 mutantur. Ita communis apud Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. num. 1.
 Tertia. Possunt vota mutari in opera alioquin à vovente
 stari solita. Ita omnes, qui concedunt pro pœnitentia Sacra-
 mentali imponi posse opera aliàs præcepta, cum sit eadem
 utrobique ratio. Suar. Vasq. Con. Dian. Dicastil. & alii
 muniter. Quarta. In commutatione non debet attendi
 perum præstantia & valor secundùm se, sed obligationi
 debitòque Pœnitentis commensurari, alioqui votum pœ-
 tuæ Castitatis, aut cujuscunque peregrinationis posset in
 cum Sacrificium Missæ commutari, cum unicum tale Sacra-
 ficiùs à Sacerdote oblatum sit gratiùs acceptiùsque Di-

quàm si infinitos variarum virtutum actus elicisset. Quinta. In eadem commutatione facienda non sola Pœnitentis obligatio, & difficultas in operando, sed etiam operum valor in ordine ad gratiam causandam spectari debet. Hinc v. g. una Confessio aut Communio hebdomadaria meritò credi potest æquivalere quotidiano rosario per hebdomadam recitando, & sic de aliis loquendo. Sexta. Etsi, quantum fieri potest, votum in aliud æquale commutandum sit, non tamen æqualitas hæc mathematica esse debet, sed moralis tantum, atque ad arbitrium boni viri, seclusâ fraude & ignorantia, quæ nonnunquam intervenire solent. Ita Dian. p. 3. tr. 5. ref. 25. & apud eum Suar. Silv. Rodriq. & alii. Septima. Si à præcedente Confessario facta est commutatio in rem etiam minus æqualem, poterit posterior Confessarius acquiescere tali commutationi, neque aliam facere debet, cum præcedens Confessarius potuerit sequi probabilem sententiam Medinæ, Rodriq. Less. & aliorum apud Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 24. docentem id licitè fieri, & fortè circumstantiam unam, alteramve in tali commutatione considerabilem meliùs penetrârit. Octava. Etsi causa aliqua necessaria sit, ut commutatio voti in rem inæqualem fieri possit, ea tamen non necessariò gravis esse debet; hinc Lessius & Fernandez apud Dian. p. 2. tr. 16. ref. 8. docent, sufficientem causam esse, si suaviùs, hilariusque vovens adimpleat materiam voti subrogati. Imò Sanch. to. 1. l. 4. c. 50. n. 13. putat, solam petitionem vovens sufficere, uti testatur idem Dian. h. c. ubi ex eodem addit, Confessarium, qui sine causa (v. g. ante petitionem subditi, & intuitu ipsi gratificandi) mutaret votum, leviter duntaxat peccaturum.

§. II.

De Scientia Juris.

Per jus hoc loco non tam activum, quàm passivum intelligitur, scilicet obligatio, quam habet Confessarius ad varia officia in confessionali exercenda. Hinc ad istam scientiã pertinet 1. ut sciat, an & quomodo obligetur ad Pœnitentem interrogandum de circumstantiis & numero Peccatorum: ad dolorem procurandum: ad restitutionis, & alia similia onera imponenda: ad errores in confessione audienda admissos supplen-

supplendos: ad instruendum & admonendum Pœnitentem ad pœnitentiam imponendam; ad absolutionem dandam; sigillum servandum, ad confessionem audiendam. 1. Ad eandem scientiam pertinet, ut sciat ordinarios modos peccandi contra legem Dei, Ecclesiæ, & contra specialem statum & officium Pœnitentis. 3. Pertinet ad illam, ut quomodo Confessarius non tantum Judex, sed etiam Medicus est, ut cuique vitio seu morbo spirituali remedia inquirat, eaque memoria sua velut capacissimo Pharmacopolio recondat, quæ omnia, quomodo obtinere possit, jam nunc ostendat.

DE PRIMA OBLIGATIONE.

Ad interrogandum Pœnitentem.

Qu. 1. *An Confessarius obligatus sit ad interrogandum Pœnitentem.* R. Etsi Vasquez d. 93. a. 3. du. 7. n. 3. & apud Jo. Medina & Sotus. Item Henriq. Saa. apud Tann. d. de pœn. q. 7. d. 5. n. 95. cc. putent, non obligari Confessarium ad interrogandum, nisi quando omissio interrogationis proximi detrimentum cedit, contrariam tamen sententiam uti communioem, ita probabiliorem quoque merito videtur utpote quæ colligitur tum ex cap. omnis utriusque secus pœn. & remiss. peccat. ubi dicitur: sit Sacerdos discretus & cautus more periti medici, diligenter inquirens peccatorum circumstantias; tum verò etiam ex officio Judicis, quod subit Confessarius, cui non satisfaciet, si probabiliter suspicet aliquid latere adhuc in Reo, & tamen illud indagare obligat.

Qu. 2. *Quenam Personæ sint interroganda?* R. Priusquam ad hanc quæstionem respondeatur, supponendum est, Pœnitentes posse in tres classes dividi, videlicet in supremam, mediam, & infimam. Ad supremam spectant Religiosi, Clerici, Doctores Juris & Medicinæ; Studiosi aliorum Facultatum, maximè Theologiæ. Ad mediam pertinent omnes qui vel omnino non, vel parùm tantum studuerunt, sunt autem minus rudes & agrestes, quo nomine plerumque censentur Officiales Principum & urbium, Cives, Famuli, Liberti civitatibus educati, & Studiosi inferiorum facultatum. Ad infimam reducuntur omnes rudes in prioribus duabus classibus.

bus non comprehensi, quales sunt plerumque omnes Rustici & eorum Famuli ac Liberi, uti & frequenter Servi & Ancillæ in civitatibus ad agrestia servitia adhiberi soliti, imò quandoque aliqui etiam ex iis, qui mediæ classi sunt attributi, uti ex eodem agendi modo colligi poterit.

Hoc notato **R. 1.** Eos, qui ad primam classem pertinent, ordinariè supponi posse, non modò debitam diligentiam adhibuisse, sed etiam sufficientem habere scientiam ad hoc, ut Confessarius non obligari censeatur, ad eosdem ulterius interrogandos, nisi ex ipsius Confessionis circumstantiis manifestè colligeret, eos ob crassam ignorantiam vix mediæ classe dignos esse, uti nonnunquam in Clericis contingit.

R. 2. Eos, qui ad infimam classem pertinent, neque præsupponi ordinariè posse debitam diligentiam adhibuisse in examine præmittendo, neque etiam, licet præmiserint, sufficientes esse ad peccatorum numerum, & circumstantias indagandas, atque adeò plerumque à Confessariis examinandos esse.

R. 3. Eos, qui ad mediam classem spectant, judicari quidem posse sufficientem diligentiam in se examinandis adhibuisse, (cùm experientia doceat, eos plerumque majorem suorum peccatorum partem vel ex charta, vel ex memoria recitare; imò Ferd. de Castro tr. 22. d. un. p. 18. n. 3. putet, semper præsumendum esse, Pœnitentem juxta captum suum & possibilitatem præmisisse sufficientem diligentiam) verùm an ita Pœnitens constitutus sit, ut cum mediocri diligentia sufficiat ad numerum peccatorum indagandum, id enim verò ex circumstantiis confessionis intelligendum esse. Si enim in plerisque diligenter addat numerum, & alias circumstantias, potest persuadere sibi Confessarius, sufficienter instructum esse circa alia etiam peccata indaganda; secus verò, si omnia promiscuè sine numero, aliisque circumstantiis explicantem advertat.

Qu. 2. Quid interrogandum sit? **R.** duplicis generis quaestiones formari posse, generales scilicet, & speciales. Generales aliæ sunt, quæ ante; aliæ, quæ in, aliæ, quæ post confessionem factam formandæ sunt: quia tamen Authores in his definiendis non conveniunt, proderit indicare, quæ à paucis, & quæ à pluribus formandæ censeantur. Primò ergo ex his,

Instruct. V.

B

quæ

quæ præmittendæ sunt, putant aliqui has numerandas. 1. an fecerit diligenter examen ab ultima confessione? 2. an impleverit pænitentiam impositam? 3. an afferat dolorem propositum requisitum? 4. an debeat restitutionem pecunie honoris, aut famæ? 5. an habeat casus reservados, aut aliquam censuram? 6. an habeat cum aliquo inimicitiam? 7. an sit uxoratus? 8. an & quale habeat officium? 9. an habeat necessarios fidei articulos? 10. an sibi conscius sit de aliquo defectu substantiali in priori confessione admisso? 11. an in priori confessione satisfecerit suæ conscientiæ? 12. quantum ultimò sit confessus? Ex his tamen omnibus priores undecim Lugo d. 22. s. 2. n. 14. & cum eo alii plerumque putant, vitales esse, solam verò ultimam præmittendam, eo quod tunc tùm juvet ad peccatorum numerum postea melius percipiendum, id quod ipsa etiam Confessariorum praxis probat. Ego tamen judico etiam decimam & undecimam quandoque, maxime quando peregrini confitentur, aut quando Jubilæum propositum est, utiliter præmitti, ne postea magno cum labore repetere omnia peccata cogatur Pænitens, si invalidè sit confessus. Secundò ex iis, quæ in ipsa confessione formatæ sunt, istæ plerumque numerantur. 1. quid ab ultima confessione peccarit? suadent enim exercitati Confessarii, ut Pænitens dicere sinatur, quod occurrit, sic enim status illius melius cognosci, & quæstiones speciales facilius formatæ possunt, quod ego quoque censeo faciendum, nisi magnum Propositi accursus sit. 2. monet Layman. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 1. quæratur, an inimicitiam Pænitens gesserit? 3. an nihil possideat, quod ad alterum pertinere existimet? 4. an nihil perditiosum habuerit? 5. an bene cum Coniuge convivens? 6. an cogitationes inhonestas, vel importunas tentationes patiatur? hæc omnes quæstiones licet generaliores, magis tamen lumen, & occasionem præbebunt Confessario, ut eas novas quæstiones facilius formare possit, vel certè à multis aliis abstinere queat. Tertiò ex iis, quæ subjiciendæ sunt istæ ab aliquibus numerantur. 1. an nihil amplius conscientiam gravet? 2. an doleat ex animo de peccatis? 3. an habeat propositum serium vitandi peccata? 4. an patiatur graves in aliqua re tentationes, & quibus remediis occurrat? 5. an habeat statas quotidie preces, licet paucas? sed ex his præ-

prima ordinariè, secunda & tertia etiam apud rudes formanda est, ultimæ duæ rarissimè, & non nisi ubi manifesta Pœnitentis utilitas eas requirere videbitur, sunt usurpandæ. Speciales verò quæstiones quod attinet, eæ triplicis quoque generis sunt, quarum primæ versantur circa substantiam, secundæ circa circumstantias, tertiæ circa numerum peccatorum. Quod ad primas attinet, ut eæ rectè formentur duas industrias à Confessario adhibendas censent periti Authores. Prima est, ut Confessarius sibi quæstiones juxta ordinem præceptorum pro variis statibus componat, & memoriæ manderet, ut suo tempore in promptu habere possit. Secunda est, ut benigniores quasdam sententias sibi conscribat, quæ, etsi alioqui eas non teneat, ad scrupulos tamen eximendos, & Pœnitentem, si multarum quæstionum, uti nonnunquam fieri solet, incapax foret, à tanta molestia liberandum ei servire possint. In secundi generis quæstionibus circa circumstantias formandis, illud univèrsim observare debet Confessarius, ut valde cautus sit, & non nisi necessarias plerumque exprimere jubeat; hinc quia v. g. probabilis valde sententia est, circumstantias intra eandem speciem aggravantes non esse exprimendas: omnes autem contumelias, odia, hæreses, judicia temeraria, detractiones, superstitiones esse ejusdem speciei &c. non multum urgebit Pœnitentem ad ejusmodi circumstantias exprimendas. Denique in tertii generis quæstionibus circa numerum formandis, securius ferè putatur, si ubi certò constat, peccatum esse mortale, neque ab ipso Pœnitente numerus additur, moneat illum, ut addat, quod maximè intelligendum est de secunda & tertia classe Pœnitentium supra assignatorum; nam docti homines, cum sciant, se obligari ad numerum addendum, hoc ipso, quòd eum non addant, prudenter judicare potest Confessarius, eos putare, quòd peccata à se enarrata mortalia non sint, saltem propter circumstantiam, quæ ex mortali veniale facere per accidens potest. Caterùm eos, qui de numero interrogandi sunt, proderit vel ab initio, vel certè ad finem confessionis suaviter monere, ut deinceps in peccatis, quæ graviora ipsis videbuntur, numerum addant, aut certè, si probabilem habere non possunt, consuetudinem peccandi, aut etiam tempus, frequentiam in die, septimana, mense, anno dicant. Imò Diana cum pluribus aliis putat

sufficere, si is, qui diu fuit in statu malo, & consuetudine in-
terata, dicat tempus, quo vixit in tali statu.

Qu. 3. *Quando sit interrogandum?* Quæstio hæc in
potissimum versatur, an satius sit Pœnitentem interpellare
necessariis quæstionibus, de numero, circumstantiis &c. &
verò has quæstiones in finem differre, quâ in controversiâ
non conveniunt Authores: nam imprimis Henríquez putat
non facillè esse interpellandum. Laym. l. 5. tr. 6. c. 13. n. 3.
idem judicat, nisi gravis aliqua ratio aliud suadeat. Vasquez
omnino interpellandum censeat, cui etiam Lugo d. 22. n. 11
consentit, saltem pro eo casu, quo longior confessio perage-
nda est. Alii denique putant, certam & infallibilem regulam
dari non posse, sed hoc prudentiæ Confessarii relinquendum
esse. Ego hac in parte sequentes regulas servire posse judico.

Prima est, si longæ & generales confessiones fiant, & multo
magis, si à pluribus annis vitiatæ fiant, consultius esse, ut
Pœnitentes interpellentur, sed suaviter & amicè, ne terreatur.

Secunda est, si communes confessiones scripto fiant, ut ex
ipso modo confitendi facillè intelligatur, Pœnitentem perple-
xè, & sine ordine sua peccata proponere, rectius factorum Con-
fessarium, si maturè cum interpellat, cum ut sic non timen-
dum sit, ne Pœnitens Confessarii interpellatione turbatus
peccatorum aliquorum obliviscatur, ut qui ea in charta no-
notata habeat.

Tertia regula, si confessio ex memoria fiat, tum facien-
dum discrimen videtur, & prudentiores quidem, honestiores
que, præcipuè viri, non facillè interpellandi erunt (cùm pro-
rumque hoc illis ingratum sit; aliunde verò, ne quæstiones
proponendæ à memoria elabantur Confessario, signa quædam
digitorum compressione, vel globulis rosarii, quibus nume-
rus præcepti, contra quod peccatum est, indicetur, fieri pos-
sint) rudiores tamen & simpliciores, & quandoque etiam ho-
nestiores fæminæ (hæ enim plerumque gaudent interroga-
ri) faciliùs interpellari possunt, cum peccata, quæ proprie
interpellationem excidere possent, per examen à Confessario
factum revocari queant.

Quarta regula: Illi, qui frequenter confitentur, & qui
novit Confessarius, rarò aliquod peccatum mortale afferre,
non facillè interpellandi sunt; quia apud hos nullum est peccatum

culum, ne alicujus peccati gravis, de quo interrogandi obligatio est, obliviscantur.

Quinta regula: Si Pœnitens ipse petat, ne interpelletur, Confessarius prudenter illi acquiescere potest; cum enim Pœnitens ex una parte per istam petitionem sufficiens præbeat indicium, se sufficientem in examinanda conscientia diligentiam adhibuisse: atque adeò Confessarius juxta probabilem multorum sententiam eum examinare non teneatur; ex altera vero parte prudenter timere queat, ne, si petitionem Pœnitentis non audiat, is graviter indignetur, & ex tali indignatione aversionem ab ipso Confessario concipiat, imò omnino ad absolutionem indispositus efficiatur, rectius omnino faciet Confessarius, si saltem in hoc casu primæ sententiæ suprâ citatæ se accomodet, & ab ejusmodi odiosa interpellatione abstineat.

Sexta regula, prudenter potest Confessarius omnem in hac difficultate anxietatem deponere; tum quia habet pro se probabilem sententiam Vasquezii, & aliorum supra citatorum docentium, Confessarium omnino non obligari ad interrogandum Pœnitentem, et si advertat eum post sufficientem diligentiam adhibitam peccatum aliquod aut circumstantiam necessariam omittere; tum quia etiam securè Authores suprâ citatos obligationem interpellandi negantes sequi potest, & præterea meminisse debet, multas esse circumstantias aggravantes intra eandem speciem, quas juxta probabilem sententiam neque Pœnitens exprimere, neque confessarius interrogare tenetur.

Qu. 4. *Quomodo sit interrogandum?* R. modum hunc in quinque potissimum adverbii consistere, nimirum ut parcè, discretè, cautè, tempestivè, & mansuetè hæ interrogaciones instituantur, quæ proin paulò amplius sunt declarandæ. Itaque

I. *Parcè* interrogandum; unde abstinendum erit non modo à rebus omnibus ad confessionem non pertinentibus, sed etiam iis, quæ cum peccato connexa quidem sunt, sed ita, ut eorum scientia necessaria non sit ad peccati speciem, prout integritas confessionis requirit, cognoscendam.

II. *Discretè* interrogandum est, unde sedulò cavendum erit, ne examen instituat de iis, quæ moraliter certum est, à tali

tali persona committi non solere; vel ex quibus distat peccare Pœnitens. Huc etiam pertinet, ne de inverecundis inverecundè, vel de numero nimis anxie interroget, si ex enarratione facile colligi potest: maximè verò Personæ conjugatæ harent de vitiis carnis interrogari, honestiores famina de facto, mendacio, ebrietate &c.

III. *Cautè* interrogandum est, ne vel occasionem det investigandi modos peccandi, aut traducendi confessionem, aut ignorantem peccatum doceat, aut offendar, aut se & illum periculo exponat. In duobus verò casibus potissimum hæc cautela necessaria est. Primus est in vitio carnis, ubi reus monet Angelus, sedulò cavendum, ne interrogationibus necessariis sibi & Pœnitenti periculum peccandi creet Confessarius; sibi quidem, quia potest facile peccati mortalitatem contrahere, formando tales interrogationes ob delectationem; Pœnitenti verò, quia facile inde discet, quodammodo nescivit. Unde Coninkh. d. 7. du. 7. docet, præstare aliquando, Sacerdotem minus perfectè Pœnitentis peccatum cognoscere, quàm sibi vel illi scandalum aliquod creare. Adm. Senbaum l. 6. tr. 4. c. 2. du. 6. in fine, si in hac materia regentur cogitationes, non opus esse progredi ad opera, nisi fortè apud rudiores, qui negant cogitationes, verba, & opera rogati fatentur, eò quòd illas non æquè agnoscat, & advertant. Alter casus est, cum Pœnitens negat peccatum, quòd Confessarius ex aliorum relatione, vel confessione habet; tum enim licet absolvendus sit, utpote cui in hoc tam pro se, quàm contra se, credendum est, communiter tamen notant Authores, prudentis Confessarii esse, variis interrogationibus remotè peccatum tale elicere. Quod si negare pergat, prudenter judicandum esse, an non potuerit involvisci, vel confessus esse alteri, vel putare non esse peccatum, vel simili de causa excusari. Si verò ex confessione complicitatis id habet, ajunt quærendum esse, an nihil aliud conscientiam gravet, & ad contritionem excitandum.

IV. *Tempestivè* interrogandum est, unde cavendum, ne nimis urgeatur importunè Pœnitens vel ad responsionem dandam, vel ad numerum certum exprimendum, vel ad confessionem celerius absolvendam. Item ne, si aliquid expricare voluerit Confessario, abscindatur sermo (nisi inuolvisci &c.

& impertinentes historias narraret) sed spatium ei concedatur, miseras suas, scrupulosque proponendi, id quod maxime observandum est, si Pœnitens talis rariùs confiteretur, aut procul venisset, aut confessionem generalem faceret, tum enim omni cum affectu charitatis excipiendus est, curandumque, ut illius conscientia plenè satisfiat.

V. Mansuetè interrogandum est, ita ut ex ipso modo interrogandi colligere possit Pœnitens, Confessarium in visceribus charitatis cum ipso agere paratum esse; itaque ab omni verbo acerbiori abstinendum, imò etiam ab omni increpatione, antequam confessio absoluta est, nullum item signum displicentiæ ullius, aut admirationis præbendum est. Hoc loco aliqui advertunt, mirè conducere ad Pœnitentis animum conciliandum, si ad initium confessionis suaviter nomen illius quæratur (maximè, si simplicior & rudior sit) & postea proprio nomine per totam confessionem compelleretur, dicendo v. g. Age, dic, bone vir quando ultimò confessus es? & quibus DEUM amantissimum Patrem, & Christum Redemptorem tuum peccatis hætenus offendisti? Tales enim quæstiones præambulae miros animos addunt Pœnitenti, qui alioqui, si Confessarius nihil dicat usque ad finem confessionis, terretur, & hominem severum esse suspicatur, aut certè minus confidenter ei peccata sua exponit.

DE SECUNDA OBLIGATIONE

Ad obligandum se sententiæ probabilis
Pœnitentis.

Q. 1. An Confessarius teneatur se accommodare sententiæ probabilis Pœnitentis, ita ut si v. g. Pœnitens contractum aliquem licitum, Confessarius verò usurarium iudicet, idque propter maiorem auctoritatem, nihilominus tamen eum absolvere possit, & debeat? R. inter varias, quæ in hac controversia reperiuntur, sententias, Confessarium optimè facturum, si sic procedat.

I. Si Pœnitens sit doctus, & authorem pro se celebrem, vel plures ejusmodi habeat, omnino eum absolvat; unde meritò Layman reprehendit consuetudinem eorum, qui talem Pœnitentem absolvere nolunt, sed ad alium mittunt, cum sit legitime dispositus.

II. Si Pœnitens doctus non sit, sed tantum aliunde erit, talem contractum non esse licitum, tum, ut bene docet Laym. l. 5. tr. 1. c. 5 §. 2. instituere oportet talem Pœnitentem, & si quidem pro tali probabilitate facienda sufficientem non habeat authorem, illi ostendere, quod juxta hanc opinionem in hoc foro procedere non possit, vel certe multo curius sit facturus, si eâ desertâ Confessarii sententiæ se commodet.

Qu. 2. *Quibus regulis dirigere se & Pœnitentem potest Confessarius circa sententiâ magis vel minus probabiles sequendâ?* sequentes ei non parum servituras.

Prima est. Et si tutissima sit sententiâ, quæ docet licet probabilem quamcunque sententiâ sequi (pro hac enim D. Sanchez & alii ultra 50. Authores citant) hæc tamen in pluribus casibus limitationem patitur. Primus casus est, quando usus benignæ opinionis esset futurus noxius illi, propter quem eâ utimur; nam juvari beneficio nos oportet, non decipi. Hinc Medicus non potest remedium probabile tantum applicare, certiori relicto. Secundus est, quando benignior sententiâ, & minus probabilis non potest sine detrimento tertiæ personæ praticari; nam, ut habetur in reg. 206. ff. de jure naturæ, æquum est, neminem cum detrimento alterius fieri locupletiozem. Hinc cum Judex non possit in casu, quo duæ partes litigant, sequi minus probabilem sententiâ, sine detrimento alterius, debet juxta merita causæ ferre sententiâ, nisi fortè in casu, quo alteri parti propter inopiam gravissimum damnum, alteri verò ob opulentiam damnum exigui momenti sequeretur. Tertius est, quando de bono publico agitur, quia, ut habetur in cap. bonæ de postul. Prælati speciali utilitati communis præferenda est; hic Confessarii Principum ferre debent sententiâ, quæ ipsis probabilior videtur. Quartus est, quando sententiâ minus probabilis receptæ consuetudini repugnat; tunc enim in eo loco, in quo viget talis consuetudo, non licet secundum illam probabilem sententiâ operari, quia, ut habetur. l. de quibus. ff. de leg. id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine introductum est. Quintus est, quando agitur de valore Sacramentorum, & aliunde non adest causâ impellens ad benignior

sententiam in favorem Proximi arripiendam. Ita P. Gobat, p. 1. p. 1. Clypei Clement. Jud. §. 10. n. 141.

Secunda regula est: Interdum etiam communiore, & probabiliore sententiâ relicta oportet minus probabilem, sed tamen tutam & favorabilem sequi, scilicet in sequentibus casibus. 1. Quando agitur de valore Matrimonii. Ita multi TT. & Juristæ apud & cum Sanch. l. 1. de matr. d. 18. n. 7. 2. Quando agitur de testamenti valore. Ita Barbof. apud & cum Gobat. p. 1. Clyp. §. 13. n. 175. 3. Quando de Religionis favore agitur. Ita multi apud eundem. 4. Quando agitur de potestate clavium, & jurisdictione Ecclesiæ. 5. Quando favet minus probabilis sententia piæ causæ. Ita 20. AA. apud Martham, teste P. Gobat. l. c.

DE TERTIA OBLIGATIONE Ad instruendum Pœnitentem.

Quæritur, an & qualem obligationem habeat Confessarius ad instruendum Pœnitentem? Ut hæc quæstio accuratè & solidè resolvi queat, sciendum est, ignorantias, de quibus hic sermo est, universim ad quinque genera reduci posse.

Primum genus est earum rerum, quæ ex præcepto fidei quis scire tenetur, circa quam ignorantiam sequentia bene notanda sunt Confessario. 1. Probabilem esse sententiam, quòd sola fides existentiae DEI, & Remuneratoris sit necessitate medii necessaria. Ita enim Lugo, Suar. Turr. & multi alii RR. docent. 2. In rigore non teneri Confessarium Pœnitentem instruere, ut tunc addiscat, quæ credere necessitate præcepti debet, sed sufficere, si Pœnitens sciat ea, quæ necessitate medii scire debet; aut certè, si tum ea Confessarius illi proponat, & explicet, ut explicitè credat. Ita Sanch. l. 2. in Dec. c. 13. n. 23. quem refert & sequitur Tambur. l. 3. c. 5. n. 2. 3. In bene moratis, vel frequenter confiteri solitis, supponi posse, semel eos hæc mysteria fidei credidisse, quod sufficit necessitate medii. Ita iidem l. c. cum Arragonio ibid. c. 4. In rebus necessitate præcepti credendis communiter vix aliquam negligentiam saltem gravem intervenire, cum Pœnitentes vel sint ex urbanis & cultis, & tum prudenter supponantur ea scire, vel ex rudibus & pueris, & hi supponantur inculpabiliter nescire, ut iterum Tambur. l. c. n. 3. cum Vasq. &

Azor. docet. 5. Confessarium, si multitudo Penitentium urgeat, non obligari ad instituendos in hac materia ignorantibus, sed posse eos absolvere, & monere, ut alio tempore ad ipsum redeant, vel certè à suo Parocho instrui petant, nisi forte etiam ea, quæ ad confessionem requiruntur, ignorantibus, præterea tam rudes viderentur, ut brevi tempore instrui non possent, tum enim absolutè sine absolutione dimitti deberent, utpote non sufficienter dispositi. 6. Cum ex una parte teneantur fideles necessitate præcepti ad omnes articulos fidei, Decalogum, præcepta Ecclesiæ, orationem Dominicam, & Sacramenta Baptismi, Penitentia, & Eucharistiæ, saltem quoad substantiã explicitè credenda, raro Confessarium obligari ad hæc docenda, cum ista vix aliter, quàm per confessionem, & frequentem instructionem disci queant. Adde Reginaldus l. 2. c. 12. n. 153. ex Grassio l. 1. decis. aurearum c. 44. n. 3. facillimum modum potiora fidei mysteria explicandi rudi Penitenti esse, si explicetur signum crucis, præcepta à Latinis fieri solet.

Secundum genus ignorantia est circa erroneam conscientiam, quæ duplici modo accidere potest. 1. Ut judices ignorant aliquid esse peccatum, quod non est. Ejusmodi ignorantia communiore sunt apud plebeios, quod putent, legitime peccare, si die festo omittant sacrum etiam iusta de causa: si jejunium non servant, etsi non sint ad illud obligati: si vomitum etiam ex naturali causa patiantur: si cogitationibus inhonestis etiam sine complacentia vexentur: si saltatim honesta, aut lusu licito se recreent die festo: si filii aut servi delinquentibus, licet non immoderatè, irascantur, aut eos castigent, aut cognominibus afficiant: si die festo ante sacrum editum comedant: si contra aliquem apud Judicem legitimam litem moveant: si aliquis ipsos odio prosequatur, licet ipsi maximè cupiant ei reconciliari: si divitias, aut aliud quod quod alium habere vident, etiam ipsi sibi optent, licet non doleant, quod alter habeat: si diebus festis etiam necessitas opera, aut charitativa certè peragant: si diebus jejunii etiam tempus prandii aut cænæ bibant: si preces sodalitarum negligant: si concionem & vespas die festo non audiant. Hæc etiam pertinet, quando peccatum aliquod gravius, aut altius rursus speciei, quàm à parte rei sit, commississe se judicant, ut

agnomina varia in aliquem proferentes blasphemasse se putent. In his ergo & similibus casibus communis est sententia Authorum, quod Confessarius tales Pœnitentes instruere, atque à tali ignorantia, quantum in ipso fuerit, liberare teneatur, cum nullum ex tali instructione incommodum timeri, multa verò commoda sperari merito possint. 2. Contingere hæc ignorantia in genere potest, ut Pœnitens iudicet aliquid non esse peccatum, quod est: cujus generis apud Plebeios sunt, quòd putent, non esse peccatum saltem grave turpibus cogitationibus inhærere, vel etiam omnino assentiri, vel delectari: turpia verba recreationis gratiâ proferre: debitum negare conjugii, seipsum polluere; varias incantationes adhibere ad sua, pecorùmque corpora curanda &c. in his Casibus communior Authorum sententia docet, si culpabilis sit ignorantia, monendum esse Pœnitentem, quia alioqui peccare perget; si verò sit inculpabilis, tunc tantum monendum esse, si fructus speretur, aut si ipse Pœnitens quærat, num hæc vel illa actio peccaminosa sit; secus a jure non teneri, etiamsi peccatum tale in damnum tertii cederet, modò non cedat omnino in damnum communitatis, tunc enim bonum commune privato esset præferendum. Ita Sach. Lugo, Suar. apud Tambur. l. 3. c. 3. n. 6. Quod si dubium sit, num admonitio profutura sit, comparanda inter se erunt utilitas, quæ speratur, & damnum, quod timetur, & quod ex his præponderat, præferendum est.

Tertium genus ignorantix est, circa ipsam confessionem, seu modum confitendi. Ejusmodi ignorantix sunt duplicis generis. Nam 1. aliqua versantur circa actiones nullo modo peccaminosas, quales sunt, v.g. longas historias confessioni annexere, agnomina data singulariter, & distinctè explicare: dicere, quòd semel cura virgine una, & postea cum alia peccaverit: longas confessionum formulas præmittere, aut subungere: peccata sua verbis parùm urbanis explicare &c. Et hæc ignorantia, sicut sine vitio dissimulari potest, & verò etiam interdum expedit (maximè si personæ sint ejusmodi, quæ ægrè laturæ correctionem, aut certè parùm capaces emendationis videantur) ita si commodè fieri possit (uti plerumq; fit apud Plebeios) omni studio tollenda est, quam vis indirectè potiùs, quàm directè id faciendū sit, v.g. formulas, aut

historias per discretam interruptionem abrumpendo, peccata ab ipsis crasse prolata modestius proferendo, dum ad emendationem eos hortatur, aut numerum peccati quærit. 2. Aliter versantur circa actiones peccato obnoxias, quales sunt, non exprimere numerum, aut circumstantias speciem mutantes, complicem sine necessitate manifestare; de aliorum non complicum moribus, vitiisque gravioribus murmurare &c. &c. Hanc ignorantiam tollendam omnino obligari censeo Confessarium, atque adeo monere debere, ut numerum & speciem deinceps in confessionibus addat (quod tamen fieri potest) si tantum quærendo, quoties hoc peccatum fecerit, & an talem vel talem circumstantiam conjunctam habuerit; sic enim indirectè Pœnitenti indicabit, hæc esse exprimenda in confessione, ut omittat aliorum vitia referre, nisi fortè solatii tantum consilii perendi causâ id faceret; tunc enim juxta probabilis sententiam, quæ docet, non esse peccatum viro prudentius vitium solatii proprii causâ referre, dissimulare id possit, aut certè si sapius rediret, suadere, ut cautior esset in quomodocumque vitiis referendis.

Quartum genus ignorantie est variarum obligationum, quas sive per peccata, sive aliunde contraxit Pœnitens, quales v. g. sunt obligatio non petendi debitum ex invalido matrimonio, aut superveniente affinitate, aliòve impedimento contracta; obligatio restituendi, quod injustè erat acquiritum: obligatio certum tributum aut debitum persolvendi: obligatio vitandi aliquam occasionem peccati &c. Et de hac ignorantia tollenda eodem ferè modo discurrendum est, quod supra in secundo genere ignorantie cum eo, qui putat aliquid non esse peccatum, quod tamen est peccatum, agendum prædictum fuit, nam & in hoc casu tantum est obligatio eum monendi, quando aut culpabiliter manet in tali ignorantia, aut certè, si inculpabiliter manet, speratur fructus admonitionis.

Quintum genus ignorantie circa vitam ordinandam, quæ quidem ignorantia triplex est, scilicet circa statum vitæ eligendum, inchoandum, & continuandum. Circa eligendum vitæ statum hæc tria specialiter observabit Confessarius. 1. ut prudenter circumspiciat, an Pœnitens ad ejusmodi electionem admittendus sit. 2. ut admissum ad electionem legitimam, & ordinatam via ad præfixum electionis terminum per-

Qualis quidem via est, si primò radix omnium difficultatum, scilicet impetus aut affectus rationem præcurrens tollatur per confessionem, & alia convenientia media: si is, qui eligere vult, jubeatur cum DEO, Sanctisque frequentius agere, & ab his lumen ad cognoscendam DEI voluntatem emendicare: si rationes & illustrationes Pænitenti in hoc genere occurrentes ab ipso Confessario prudenter examinentur, & de his cum DEO conferatur: si Pænitenti omnes difficultates, quæ electionem irritam facere possunt, sincerè detegantur: si aptæ regulæ (quales potissimum sunt eæ, quæ à sancto Ignatio Fundatore Societatis JESU in libello exercitiorum præscribuntur) pro electione solidius faciendâ offerantur: si constantia in electione aptis ad eam rem experimentis adhibitis exploretur. 3. Ut confirmata electione Pænitens paulatim inducatur ad vitia, quæ statui electo magis repugnant, extirpanda, & eas virtutes, quæ magis ipsum decent, exercendas, quales sunt ferè pro omni statu oratio, obedientia, humilitas, castitas, mortificatio, patientia &c.

Circa inchoandum vitæ statum potissimum laborare debet Confessarius, ut Pænitenti unam, alteramve doctrinam suggerat, juxta quam velut regulam deinceps se in actionibus suis dirigat, sic v.g. sponso nuptias celebraturo pro dono quodam nuptiali offerri posset hæc sententia: *Quærite primum regnum DEI, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Sic Neomystræ statum sacerdotalem auspiciaturo suggeri possent sequentes sententiæ, quas assiduò in mente habeat. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur? Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Si hominibus placere, Christi servus non essem.* Sic personæ religionem ingredienti possent pro instructione dari hæc vel similes sententiæ doctrinales: *Fili, accedens ad servitutem DEI, sta in timore, & prepara animum tuum ad tentationem: optima Religiosi perfectio est, communia quæque religionis opera perfecte adimplere; ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum: Pone te semper ad infimum, & dabitur tibi summum.*

Circa continuandum denique vitæ statum triplicis generis ignorantias tollere debet. Primum est ignorantia in scrupulis

lis pellendis, de qua alibi ex instituto agetur. Secundum
 genus confistit in quibusdam erroneis opinionibus tollendis
 quæ non modicè vexant Pœnitentes, & impediunt à vita
 instituenda, quales sunt v.g. si querantur se propter labores
 officia, aut morbum non posse multum orare: si nimis ange-
 tur, & tristentur ob lapsum in levia peccata, licet ex fragi-
 litate tantum commissa: si judicent, se esse subiectos gravissimi
 odio DEI, eò quòd variis infortuniis, doloribus, aliisque
 tribulationibus præ aliis hominibus se exerceri edvertant, fo-
 rere se devotione arbitrentur, quando nullam sensibilem
 terationem in corde deprehendunt: si purant, se nunquam
 ne confiteri, quia pauca admodum peccata deprehendunt
 eaque ipsa sine lachrymis explicant. Eiusmodi ergo igno-
 rantias prudenter Confessarius tollere debet ostendendo
 ipsorum laborem & officia esse orationem perpetuam, & opo-
 nam, si ad DEUM per bonam intentionem ordinentur, & opo-
 ligitur peragantur, juxta illud D. Augustini: vis semper
 dare DEUM? benefac omnia, & laudasti DEUM. Item et
 datur DEUM ob levia peccata ex fragilitate commissa
 compati, quàm irasci. sicut mater compati solet infanti
 debilitatem ex febre contractam sapius relabenti in terram
 objiciendo item illud DEI dictum: Ego, quos amo, arguo
 castigo, sicut amantes solent mutuò comprimere manus
 amplecti se usque ad dolorem. Revocando in memoriam
 illud Ascetæ; Numinis est cultus pulcherrimus optima
 Item optimos quosque Dominorum canes, ipsique granitios
 cibo duro & ossibus pasci, cum canes melitensos ad nihil
 utiles, idèòque appetitativè longè minùs dilecti tenentur
 bo pascantur. Denique declarando, quòd conscientia
 sit monitor, nullumque paulò gravius delictum latere
 tur in animo, aut certè si quid eam superfugiat, id
 illo, qui de peccatis concipitur, dolore deleatur. Tunc
 genus ignorantie circa continuandum vitæ statum est,
 nesciant, quibus in capitibus perfectio sui status consistat
 quibus mediis ad illum pertingere queant. Quà quidem
 materia utilem valde operam præstabit Confessarius, si
 ignorantiam aptis mediis tollere nitatur. Itaque Religiosi
 maximè junioribus, & Monialibus poterit exempli gratia
 quentes doctrinas offerre, quarum prioribus duobus

comprehensæ continent quatuor officia, in quibus tota ferè Religiosi perfectio consistit, posterioribus verò duobus versibus contenta media, quibus ad eandem perfectionem pervenire queant, complectuntur.

Dixi, nunc capi: sperno omnia: sola voluntas

Numinis arridet: me minimumque puto.

Sit tibi cuncta DEVS: sit tota fiducia virgo:

Excute te crebrò, vincere teque stude.

Quod si breviori via, & unico tantum puncto velit totam perfectionem comprehendere, poterit eis locò prioris sequens distichon servire.

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque,

Qua vult, quòve modo vult DEVS, & quia vult.

Sacerdotibus verò præ cæteris suadere potest 1. ut bene apprehendant vocationis suæ dignitatem, & obligationem, & remunerationem. 2. ut suis ovibus totos se impendant, iisque prodesse contentur precibus, exemplo, & ministerio, maxime agrorum, & pauperum, & pueritiæ specialem curam habeant. 3. ut tria illa vitia, quæ uti statum hunc maxime dedecent, ita specialiter illi periculosa sunt singulari studio devitent, scilicet otium, luxuriam, & ebrietatem. Denique secularibus in genere, maxime verò plebeis, ista quinque frequenter & assiduò commendari convenit, scilicet timorem DEI, electionem Patronorum, eorumque constantem cultum per paucas preces, sed quotidianas, operum suorum oblationem per bonam intentionem, frequentem usum Sacramentorum, & denique charitatem, ac misericordiam erga defunctos. Illis verò, qui magis exculi sunt, & plus otii, aut occasionis habent, proderit etiam nonnunquam Missæ quotidianam auditionem, examinis generalis usum quotidianum, librorum spiritualium lectionem, petitionem admissionis in Congregationem, eleëmofynarum liberalitatem suadere. Quæ verò singulis personis pro cujusque statu ulterius suggeri debeant, tum unctio Sancti Spiritus, tum prudentia, tum verò ipsa etiam experientia dictabit; eorum capitum aliqua apud Reginaldum to. 1. l. 2. c. 15. f. 7. legi possunt, & etiam in part. 2. hujus Instruct. c. 7. indicabuntur.

DE QUARTA OBLIGATIONE

Ad dolorem Pœnitentis procurandum.

Qu. An Confessarius sit obligatus ad dolorem Pœnitentis procurandum? R. cum dolor sit pars essentialis legitimæ confessionis, haud dubiè obligatum fore Confessarium ad hunc dolorem procurandum, si adverteret, Pœnitentem quoad hoc officio non satisfacere. Ut tamen faciliùs cognoscere possit an Pœnitens dictum dolorem elicuerit, sequentia bene notabit.

I. Saltem quoad adultos præsupponere potest Confessarius, eos cum legitimo dolore accedere, quia prudenter præcari non potest, quòd tam gravem obligationem suam non sciant, aut certè implere non velint. Ita Ferd. de Castro p. 4. tr. 23. pu. 18. §. 2. n. 2. & alii communiter.

II. Rarò contingere potest, ut in ordinariis rudium personarum confessionibus nullum indicium doloris inveniant, si bene ponderet, quænam ab Authoribus indicia sufficientis doloris agnoscantur. Nam imprimis Reginaldus l. 2. c. 6. l. 2. n. 53. & seqq. hæc agnoscit pro signis sufficientibus doloris: pœnitentiam magni facere, & vehementer desiderare: oia magno prosequi peccatum: effundere lacrymas, quæ contritionem ferè sequuntur, ut lacrymæ vitæ præcisam & vitæ: peccata confiteri cum quadam amaritudine: acriter suscipere, & multò magis sponte petere gravem pœnitentiam, uti à Rusticis sæpe fieri solet: confiteri peccata, illaque ac occasiones peccandi proponere ac promittere vitare: injurias aliis sponte & libenter condonare: habere desiderium aut propositum etiam complices peccati convertendi: sibi vilescere, & teneri magno desiderio pœnitentia propter DEVM à se offensum. Adde ego pro signis doloris sufficientis meritò haberi etiam posse, si dicant statim ab initio, se graviter peccasse, aut DEVM offendisse: si peccata in confessione deliberatè omissa nunc confiteantur: si dicant se mox post peccatum commissum pœnitentiâ & dolore affectos: si asserant, se ad hunc diem aut locum confessionem specialiter distulisse: si dicant, se sæpius proposuisse, hoc vel illud peccatum vitare, & dolere, quòd non possint (ut ipsi loquuntur)

NE
n.
it enim
timz co
n ad hu
quod lu
cere poss
bene te
Confess
enier ju
suam no
Castro p.
adum per
s inventat
sufficiat
a. 2. 6. 1
us dolens
erare: oia
que contu
& vire
line: ab
re gravem
teri linu
ac prom
nare: hab
ccati co
to patre
nis dolens
tim ab
ccata pa
r: si dicat
dolor
ionem
oc vel
si loqu
tu

tur) abstinere: si dicant, se ad confessionem ex audira con-
fessione, aut privata adhortatione fuisse permotos.

III. Securius tamen & consultius est, ut homines rudes & rusticani quandoque à Confessario ipso vel interrogentur de dolore habito, vel certè ad eundem disponantur, quod quidem variis modis fieri potest. 1. Expresse, si scilicet post omnia peccata explicata interrogentur, num doleant de peccatis. 2. Ut Confessarius quasi supponere se ostendens, dolorem ab iis elicitorum esse, dicat v. g. post examen: nihil tibi occurrit amplius, mi amice, quòd tuam conscientiam gravet & si respondeat nihil occurrere, subjiciat Confessarius: satis tibi est, quòd his amantissimum tuum benefactorem ac Deum offenderis? nunquid, mi bone vir? 3. Ut clarius suam de Pœnitentis dolore opinionem exprimat, & dicat post explicata peccata: non dubito, mi bone vir, te, sicut peccata tua magna cum sinceritate exposuisti, ita etiam dolere summopere, quòd tantum Benefactorem tuum DEUM tantopere offenderis; quare ut tanti tui conatus fructum consequaris, pro salutari pœnitentia hoc vel illud tibi injungo. 4. Ut ad certum cujusdam gravioris peccati fugam adhortans, simul etiam dolorem de aliis exciter, dicendo v. g. pro salutari Pœnitentia, mi amice, hoc facies &c. de cætero verò, licet non dubitem, te odium serium adversus omnia peccata ob DEUM tam graviter offensum concepisse, hujus tamen N. gravitatem, horror, specialiter ut deinceps perpendas. 5. Ut quandoque in modum gratulationis ostendat peccati gravitatem, dicatque v. g. gaudeo, mi bone, & gratulor ex corde, quòd misericors DEUS tibi gratiam concesserit, spatiumque, gravissimum hoc onus peccatorum excutiendi, quibus tantopere DEUM summum tuum Benefactorem offenderas, te ipsum verò in tam manifestum periculum salutis conjeceras. 6. Ut quandoque inter alias quæstiones etiam hanc formet: an in præteritis confessionibus debitum de peccatis dolorem eliciuerit? sic enim hoc ipso excitabitur ad illum nunc quoque eliciendum, si nondum id præstitit. 7. Ut nonnunquam verba amoris divino concitando, aut pœnitentiæ excitandæ apta ipsis interrogationibus immisceat, dicendo v. g. dic, mi bone, quibus peccatis dilectissimum DEUM tuum ab ultima confessione offenderis? an summum bonum tuum nunquam

Instruct. V.

C

hoc

hoc vel illo peccato offendisti? an supremam Numinis Majestatem nunquam blasphemiâ in honorâsti? an liberalissimum Redemptorem tuum nullo actu luxurioso læsisti?

IV. In pueris & puellis ordinariè judico præsumi non posse dolorem, atque adeò ab ipso Confessario ad illum erocandos esse; quod etiam variis modis potest facere. Optimum tamen esse videtur, si ex quæstiunculis, quas alioqui formosumat occasionem, ad dictum dolorem excitandi, & v.g. quærat: an diligant Patrem aut Matrem? & si affirmant, subjiciat: sed utique DEUM magis diligis, & ideo doles de peccatis tuis? nonne? Aliàs quærat, quot sint Dii? ubi DEUS habitet? an etiam velit ad cœlos venire? quid faciendum est, ut venire possit? & si respondeat, peccatum vitandum esse, subjiciat Confessarius: & ideo doles, quòd peccaveris? Aliàs quærat: an velit deinceps piè vivere? & quare? nonne ne venias in infernum? & ideo doles de peccatis tuis præteritis?

V. Illi, qui ob multitudinem peccatorum, & relapsi frequentiam dubium nonnunquam faciunt de dolore sufficienti elicitò, difficulter longis adhortationibus aut sublimibus motivis (qualia sunt amabilitas DEI, magnitudo benedictum, turpitudine peccati & similia) ad dolorem concitantur, atque adeò potius sensibilia motiva ex passione Christi, peccati Inferni, aut aliis in hoc mundo inflictis peccata proponenda sunt, quamvis & hæc non nudè, sed in formam parabola ducta sint proponenda, dicendo v. g. dic. bone vir si Regis cujusdam Filius in ebrietate Parentem noctu invasisset, eam gulam cultro incidisset, & adhuc in sanguine palpitans, cum morte luctanti unum vulnus post alterum adderet, inquam, si manè Filio hoc factum nuntiaretur, an non gravissimo dolore pectus ejus replendum crederes? atqui tu tale se vit &c. Præ cæteris verò efficax remedium ad tales Peccatores ad dolorem trahendos à peritis Confessariis judicatur, si singularem condolentiam ob tanta delicta ostendat Confessarius: si significet, se summopere gratulari Patrem, quòd à bonitate divina respectus, & à tam periculoso lapide ereptus sit, de reliquo etiam ipsius loco gratias acturum Deo, & pro constantia in bono emendationis proposito frequentem DEO supplicaturum. Item si in fine dicat, se Patris loco ulnis paternæ charitatis amplecti eum veluti Filium

prodigum, jàmque stolam gratiæ illi circumdaturum per Sacramentalem absolutionem; id unum orare, ut deinceps à Patre tantopere ipsum amante ampliùs non recedat. Denique non parùm etiam conducit ad dolorem ejusmodi peccatoribus ingenerandum, si jubeantur aliquam sententiam ponderare, v. g. si Confessarius dicat: Mi bone, pro salutari pœnitentia facias hoc vel illud; de cætero dictam tibi à Christo Crucifixo; & pro te vulnerato sequentem S. Bernardi sententiam existima: *Nonne satis propter te vulneratus sum? nunquid pro iniquitate tua afflictus sum? cur addis afflictionem afflicto? magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.* Aut istam ejusdem: *O homo, vide, qua pro te patior. Non est dolor, sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus afficio: Vide clavos, quibus confodior: tàm si dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cum tam ingratum experior.*

DE QUINTA OBLIGATIONE Ad restitutionem imperandam.

Qu. *An Confessarius obligatus sit ad restitutionem Pœnitenti imperandam?* R. Et si apud eos, quos prudenter judicare potest, nôsse obligationem restituendi, & velle eidem satisfacere, non sit necesse, illis eam obligationem in memoriam revocare, ordinariè tamen, & apud pleosque consultius est, ut de ea admoncantur, quod quandoque modestè admodum, & quasi indirectè fieri potest, dicendo v. g. non dubito, quin Dominus noverit suam obligationem quoad onus restituendi, ei que satisfacere paratus sit, ideòque ab ulteriori admonitione abstinens, impono pro salutari pœnitentia &c. Quia tamen hic actus omnium sæpe difficilimus est Pœnitenti, ideo cautissimus in hoc negotio Confessarius esse debet ne vel minus, vel plus obliget Pœnitentem, quàm teneatur. Quem in finem sequentes doctrinæ diligenter notandæ, & observandæ sunt.

I. Ante omnia det operam, ut quandoquidem restitutio est gravissimum onus, diligenter in casibus ad eandem pertinentibus se exercent, & si quas habere potest favorabiles, probatas eamen sententias, colligat, memoriæque imprimat.

II. Diligenter etiam notet regulas generales ab Authoribus

ribus hac in materia assignari solitas ad obligationem restitutionis intelligendam. Eæ autem sequentes sunt. Prima. Nemo tenetur ad restitutionem, qui non mortaliter peccavit contra justitiam. Ita Less. de justit. c. 7. n. 27. Secunda. Nulla est obligatio in foro conscientia (ante Judicis sententiam) compensandi damnum non prævisum, etiamsi operam relictæ dederit. Ita Lugo d. 8. de just. n. 41. & 83. aliique præbatissimi Authores, teste P. Gobat in Clypeo Clem. Jud. n. 66. Tertia. Non est obligandus Pœnitens ad restitutionem, quocumque dubium est, num sit facienda restitutio. Ita Poth. in direct. c. 1. Jacob Graff. & alii apud & cum P. Gobat l. c. n. 236. Quarta. Non est obligatio restituendi imponenda, cum Pœnitens in legem purè pœnalem, aut mixtam deliquit. Ita Navarr. c. 22. n. 55. & alii apud P. Gobat. n. 149.

III. De operam, ut causas à restitutione excusantes memoria bene imprimat; eæ autem sequentibus versibus comprehensæ sunt.

A restitutione bonorum excusaris,

*Si capias usu : cedas : si sponte remittat
Debitor : aut illi sit compensatio facta :
Debita si ignores : aut illi reddere possis
Non sine iactura, famaq̄, animaq̄, statûsque :
Si iuste quidquam lusa, vel sorte parâsti.*

A restitutione famæ excusaris.

*Si fama obtenta est : apertum oblitio crimen
Abstulit : aut rapta à laeso tibi fama vicissim est :
Si donet laesus, vel condonare putetur :
Reddere siq̄ potens non sis, vel non sine damno
Maiori : vel famam aliâ si laesus eandem
Perdidit ipse viâ, nihil illi reddere debes.*

IV. Si tempore confessionis occurrat ei casus difficilis & intricatus, ut ex eo statuere nequeat, an Pœnitens sit, vel non sit obligatus ad restitutionem, tum poterit vel privatus monere Pœnitentem, se velle hanc difficultatē diligentius expendere, illique corrum ad se redeundi tempus determinare, vel si redire Pœnitens non posset, & alioqui homo fide dignus

esset, poterit ei suadere, ut ipse in casu tam dubio alium quendam doctum & pium Confessarium interroget, & quod ab illo jubebitur, exequatur, id si receperit, poterit absolutionis capax fieri.

V. Si in aliquo casu putaret in rigore loquendo posse quidem Pœnitentem ab onere restitutionis excusari juxta probabilem aliquam sententiam, contrarium tamen multò probabilius judicaret, tum non deberet quidem Pœnitentem obligare ad restitutionem, posset tamen ei suadere, ut tutiori viâ procedat, & restitutionem faciat, maximè si satis opulentus foret & is, cui restituendum foret, magis esset indigus.

VI. Si restitutio valde difficilis accadat Pœnitenti, non tam defectu potentia, quàm voluntatis restituendi, poterit sequentibus motivis difficultas leniri. 1. Ostendat necessitatem hujus actûs, quòd nimirum ejusmodi sit, sine quo non possit obtinere remissionem peccatorum juxta notum illud S. Augustini effatum: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* 2. Ostendat illi, quòd licèt servet illas divitias, non habiturus sit in illis ullam à DEO benedictionem; si autem benedictio DEI non adest, quomodo ullum ex eis fructum sperare poterit? restituat ergo ablata bona, certòque sibi persuadeat, melius esse parùm cum timore Domini, quàm ingentes thesauros cum injustitia. 3. Revocet illi in memoriam, quòd, quamdiu non restituit, nullum ipsius opus gratum DEO, aut meritorium esse possit juxta ipsius Servatoris pronunciarum, quo dixit: *Si offers munus tuum ad Altare, & recordatus fueris, quòd Frater tuus habet aliquid adversus te, vade priùs reconciliari fratri tuo &c.* si ergo, postquam intellexisset, se nihil in temporalibus lucrari posse, quamdiu rem injustam possideret, haud dubiè mox restitueret, quantò magis amore lucris spiritualis idem præstare debet? 4. Jubeat considerare, quòd ea omnia, quæ retinere cupit, dimittere deberet, si casus aliquis, aut hostis, aut fur eriperet, aut etiam Magistratus legitimus exigeret; an ergo nõ possit extorquere ab eo gratia Dei, & justitiæ, Proximi ac Dei amor, quòd necessitas potest? an non plus valeat voluntas DEI, quàm Magistratus imperium? 5. Revocet in memoriam Christi sententiam, quâ dixit Matth. 25. *quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; an non ergo Christo citò, libentèrque*

restitueret, quod ei injustè abstulisset? 6. Jubeat mentis generalis illius legis à natura ipsa dictatæ: quod tibi noceri fieri, alteri ne feceris. Si ergo ipse tam ægrè fert, sua sibi ab alio ablata esse, nec restitui, cur non similem dolorem alio concipiendum meritò credat? 7. Etiam illam Christi sententiam Matth. 6. in memoriam revocet: quærite primum regnum DEI & justitiam ejus &c. jubeat proinde spes non dubiè implendam fore hanc promissionem, si ipse ante justitiæ, quod hîc & nunc exigitur, sincerè impleat.

VII. Si Pænitens per ipsum restituere velit, non facile acceptet hoc onus, nisi fortè alia via non occurreret restitutione faciendæ, tum enim suscipere quidem id posset, sed summa cautelam adhibere deberet, ne, dum alteri per restitutionem consulit, Pænitenti per sigilli violationem noceat, famaque auferat.

DE SEXTA OBLIGATIONE

Ad pænitentiam imponendam.

Qu. I. *An Confessarius obligatus sit ad pænitentiam imponendam?* R. affirmativè ex communi sententia Theologorum. Quia verò etiam hoc onus satis grave nonnullis Confessariis accidit, ideo ad illud nonnihil alleviandum servari poterunt sequentes regulæ.

Regula prima. Non dimittendus est Pænitens, qui etiam pro gravissimis peccatis vult minimam saltem pænitentiam acceptare. Ita Regin. Homob. Hostiens. Abbas Molfesius & alii apud Dian. p. 2. tr. 1 §. ref. 52.

Regula secunda. Confessarius non tenetur imponere pænitentiam (saltem gravem & peccatis commensuratum) nisi quem prudenter judicare potest, vel satisfacisse, vel certe pœnolò pòst satisfacturum, sive per propria opera, sive per indulgentias obtentas. Ita Lugo, Arriaga, Dicastillo. & communiter RR. colligiturque ex Glossa in Extrav. Antiquorum de pænit. & remiss. ubi Bonifacius VIII. reprehendit Confessarios, qui tempore Jubilæi pænitentias imposuerunt.

Regula tertia. Non est medicinalis pænitentia injungenda, quando obligatio ad satisfactionem per pænitentiam lata est, quia accessorium sequitur principale. Ita communis sententia, teste Lugo d. 27. s. 2. n. 22.

Regula quarta. Melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem. Ita Author Operis imperfecti in Matthæum apud Præpos. q. 12. du. 7. quam sententiam huc applicant Authores.

Regula quinta. Tutiùs est cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verisimiliter impletur, mittere confessos ad purgatorium, quam cum magna pœnitentia non implenda ad infernum. Ita Gerson, cit. à Laym. c. 15. n. 11.

Regula sexta. Efficaciùs est ad satisfactionem modicum opus cum fervore, & in gratia peractum, quam plurima opera tepidè, & in statu peccati mortalis absoluta, uti nemo diffitebitur; atqui si multa & gravia imponantur, timeri meritò potest, ne diu differantur, & in statu peccati tepidè, & sine fructu peragantur; secus verò sentiendum de iis, quæ ob parvitatem paulò post confessionem persolvuntur.

Regula septima. Facile reddet rationem Principi ille Judex, qui pœnas decernit juxta leges ab ipso Principe præscriptas; atqui hoc facit Confessarius, qui in pœnitentiis injungendis probabiles sententias, quas Theologi ajunt esse dictamina prudentiæ, & interpretationem voluntatis Divinæ, sequitur, ergo.

Regula octava. Prudenter facit, qui minus malum permittit, ut gravius prohibeat; atqui plura & graviora mala oriri possunt ex nimis gravibus pœnitentiis impositis, quam ex nimis levibus, ergo, si in alterutro capite excessus admittendus est potiùs in posteriori, quam in priori committi debet. Maj. patet, Min. probatur; quia ex levibus pœnitentiis hoc unum ferè damnum timeri potest, ne Pœnitens audacior fiat in peccatis comittendis, quod tamen incommodum rarò præcisè ex levitate pœnitentiæ sequitur, cum talis peccator gravis ex una parte se possit facilè liberare à pœnitentiis lucrando indulgentias plenarias; ex altera verò parte si audacior factus est ad peccandum, æquè neglecturus sit graves pœnitentias à Confessario impositas, atque alia peccata committit; ex gravibus verò pœnitentiis impositis fieri facilè potest, ut imprimis ipse Pœnitens non facilè accedat ad confessionem; deinde alii etiam audientes tam rigidos esse confessarios, absterreantur ab usu ejusdem Sacramenti. Præterea etiam prudenter timeri potest, ne pœnitentiæ tales non persolvantur, aut tepidè

tepidè perficiantur; & tandem apud tales peccatores meatus
dum est, ne interea iterum in peccata labantur, & sic pœnitentiam
gravem in alia tempora dilatam in peccato persolvant, ut
quo pacto omnis fructus pœnitentiæ tollitur, imò juxta potestatem
babilem nonnullorum sententiam omnino non satisfacit præcepto
Sacerdotis pœnitentiam injungentis.

Regula nona. Qui nimium emungit, elicit sanguinem.
Ita sapiens Prov. 30. quam regulam meritò ob oculos habere
debet Confessarius, timerèque, ne, dum nimis accuratus esse
studet in proportionatis pœnitentiis inveniendis & injungendis,
se quidem non necessaria anxietate cruciet, Pœnitentiam
verò indifferetis pœnitentiis oneratos ab hoc Sacramento avertat,
& sic sanguinis, id est, damni à Pœnitente accepti saltem
materialiter reus sit.

Qu. 2. Quomodo possit Confessarius Pœnitenti omni pœnitentia
suscipienda aut peragenda alleviare? R. si hortetur illum,
adjuvetque ad indulgentias plenarias obtinendas; ut autem
hoc præstare possit, sequentia bene observet.

I. Studeat habere cognitionem indulgentiarum, quas
communius Pœnitentes lucrari possunt. Eæ autem ad quas
que ferè capita revocari possunt, scilicet ad indulgentias Congregationum,
Rosarii, S. Francisci &c. Stationum, concessas metallis aut imaginibus,
templis Societatis JESU, & quas omnibus Christianis communes sunt.

Congregatio Rosarii habet indulgentias plenarias pro his
qui prima Dominica mensis confitentur, & communicant; aut
Processioni intersunt, & proponunt confiteri & communicare:
qui recitant Psalterium: qui in festis B. V. quinque Altaria
visitant: qui primâ Dominicâ mensis post confessionem (non exprimitur
Communio, ergo nec requiritur) visitant Altare Rosarii. Congregatio
S. Francisci has habet plenarias. Quando quis suscipitur: qui post
Sacramentum Confessionis & Communionis susceptum Processioni
mensis interest: qui coronam B. V. 72. salutationibus, & octo orationibus
Dominicis constantem recitat, & in fine semel salutationem
Angelicam pro Pontifice annectit: qui Christi Domini coronam
33. Pater & Ave constantem recitat (quas regni obtinere possunt,
si tantum Psalmum aut Hymnum de B. Virgine aut Christo recitant
(qui Officium Defunctorum aut

Psalmos penitentiales orat : qui communicat diebus Dominicis aut festis B. V. aut unius Sancti ex Ordine S. Francisci; qui in templo Franciscanorum 5. Pater & Ave recitat in festo Portiunculæ, S. Bonaventuræ 14. Julii, S. Claræ 12. Augusti, S. Ludovici Episcopi 14. Aug. S. Francisci 4. Octobris.

Indulgentiæ Numismatis concessæ sunt. Primò Quinque Sanctorum, ratione quorum habentur indulgentiæ plenariæ, quoties Confessio & communio peragitur: quoties Rosarium aut Officium parvum B. V. aut Defunctorum recitatur (quo opere, sicut & priori etiam anima purgatorii liberari potest) quoties ægri 5. Pater & Ave ad honorem Quinque Sanctorum recitant : quoties moribundi SS. nomen Jesus pronuntiant: quoties à Religiosis Ordinis horum Sanctorum exercetur opus regulis conforme, addito Salve Regina pro felici gubernatione suæ Sanctitatis. 2. S. Caroli Borromæi, ratione cujus habentur plenariæ, si post Confessionem & post Communionem recitetur vel Officium, vel Rosarium, vel audiatur Missa, vel visitetur Venerabile, vel opus mortificationis exerceatur, vel regula observetur, vel Psalmus de profundis pro Defunctis dicatur ; item si quis confessus legit sacrum, aut communicat, & pro exaltatione Ecclesiæ, & extirpatione hæresum orat (liberat etiam animam, si pro ea orat) si quis tria sacra legi curet pro defunctis, duodecies intra annum liberare potest animam : si quis in festo S. Caroli post Confessionem & Communionem recitat 5. Pater & Ave ; in agone SS. Nomen invocat ; quæ omnes indulgentiæ animabus purgatorii etiam applicari possunt. 3. Urbani VIII. ordinariæ, ratione quarum obtineri possunt indulgentiæ plenariæ, quando quis Dominicâ primâ Quadragesimæ, in festo Ascensionis, Epiphaniæ, Pentecostes & duabus sequentibus feriis, Corporis Christi, SS. Petri & Pauli, S. Joannis Baptistæ confitetur, & communicat ; aut in agone dolet ex animo de peccatis. Extraordinariæ (quibus ferè similes sunt indulgentiæ in honorem S. Thomæ Villanovani concessæ) præter ante dictas continent insuper facultatem plenarias lucrandi, si quis intra hebdomadem semel recitat vel Breviarium, vel Officium B. V. aut defunctorum, vel septem Psalmos penitentiales, vel tertiam partem Rosarii, catechizat pueros, ægros vel captivos visitat, vel pauperibus subvenit: confitetur & communicat in

uno ex supra dictis festis, & præterea in festo Assumptionis, Dedicacionis, Patrocinii templi, possuntque hæ indulgentiæ Defunctis applicari.

Stationum indulgentiæ sunt, quæ certis templis Romæ sunt concessæ, uti passim Catalogi hac de materia ostendunt. Imò non desunt, qui dicant, singulis diebus posse in septem primariis templis Romæ plenarias indulgentias semel in templo S. Joannis Lateranensis verò sexies obtineri. Ut autem hæ indulgentiæ, quæ meritò magni faciendæ sunt, melius intelligantur, & aliis etiam bene explicari possint à Confessario, sequentia bene notare debet. 1. Has in primis obtineri posse à Sodalibus Rosarii, visitando quinque Altaria ad sint, & in singulis visitationibus 5. Pater & Ave recitando: à Sodalibus Annunciatæ dicendo 7. Pater & Ave in aliquo Societatis templo, si haberi possit; alioqui in alio sacello vel templo: ab habentibus indulgentias quinque Sanctorum recitando Rosarium vel Coronam Christi aut B. Virginis: ab habentibus indulgentias S. Caroli 5. Pater & Ave domi vel in Ecclesia dicendo: à Sodalibus Congregationis Franciscanorum 5. Pater & Ave cum Gloria Patri. & sexto Pater & Ave cum Gloria pro Pontifice, ubicunque placuerit, recitando: denique à frequentantibus templum Societatis Jesu, quinque Pater & Ave ad honorem SS. quinque vulnerum dicendo. Notandum est, has indulgentias sæpiùs uno die obtineri posse, si sæpiùs præscriptæ preces & visitationes peragantur, ut P. Gobat. p. 2. thes. c. 8. n. 348. ex multorum auctoritate ratione probat.

Indulgentiæ plenariæ in templis Societatis Jesu præter Stationes obtineri possunt. 1. Singulis mensibus semel in Dominica præscripta. 2. In festis B. Virginis, & Domini nostri, & prima Dominica mensis, si post Communionem dicamus Miserere, aut ter Pater & Ave dicatur ab iis, qui Sacramenta in his templis frequentare, id est, aliquoties per annum sumere consueverunt. 3. In festis Circumcisionis (in forma Jubilæi) & SS. Ignatii & Francisci Xaverii, & Francisci Borgia.

Denique indulgentiæ plenariæ omnibus fidelibus concessæ sunt ferè istæ. 1. Si quis ad signum salutationis Angelicæ ter salutationem Angelicam recitet cum tribus versibus *Angelus Domini*. Has indulgentias ab Adriano VI. concessas

testatur P. Gobat p. 2. c. 30. n. 590. quod idem etiam confirmant Lezana, Leander, Rheita, Escobar, Laym. quos refert & sequitur Diana p. 11. tr. 16. ref. 1. 2. In morte, qui SS. nomina ore vel corde invocaverint, dummodo prius consuetudinem istius invocationis habuerint. Ita ex Bullario Sixti V. testatur Rodriquez apud P. Gobat p. 2. c. 31. num. 602.

II. Observer, & meminerit Confessarius, ad hoc, ut indulgentiæ obtineantur, non esse necessarium, ut quis sciat, se posse illas lucrari, sed sufficere, ut præscripta opera peragat, uti Diana p. 10. tr. 16. ref. 1. plurimos alios referens, & cum eo Lugo d. 27. sec. 6. n. 81. & alii docent.

III. Observer, posse per idem opus binas indulgentias obtineri, unam pro se, & alteram pro animabus, si fortè eadem die plures sint propositæ, aut quis diversa metalla habeat, quibus diversæ indulgentiæ sunt concessæ. Ita P. Gobat p. 1. c. 18. n. 209. & alii.

IV. Observer non esse opus, ut illa opera, quæ ad indulgentias lucrandas præscribuntur, sint libera, sed etiam ex præcepto perfici solita sufficere; hinc si Pœnitenti pro pœnitentia imponatur Communio & Confessio, poterit per eas lucrari indulgentias, quæ iis operibus sunt concessæ, uti iterum cum aliis P. Gobat p. 1. c. 15. n. 172. & seqq. ostendit.

V. Observer, ad hoc, ut possit propter indulgentias minorem imponere pœnitentiam, aut omnino nullam, non requiri, ut certò sciat, Pœnitentem eas lucraturum, sed sufficere, quòd probabiliter judicare possit, cum omnes condiciones pro indulgentiis obtinendis impleturum, atque adeò & indulgentias obtenturum.

Qu. 3. *Quas pœnitentias imponere debeat, aut possit Confessarius?* R. ut hac in parte officio suo satisfacere tantò facilius possit, duo illi potissimum scienda esse. Primum est, quænam opera in genere Pœnitentibus imponere possit. Nimirum 1. non tantum actus externos, sed etiam internos, puta fidei, spei, &c. Ita Suar. Lugo & alii communiter, teste Dicast. d. 14. du. 6. n. 85. 2. non tantum occulta, sed etiam publica opera, si ita expedire videatur saluti Pœnitentis, & aliorum ædificationi. Ita S. Thom. Suar. Vasq. & alii passim. 3. non tantum libera, sed etiam præcepta. Ita Suar. Vasq. Diana, Lugo, Dicast. & multi apud hos cit. 4. non tantum Pœnitent

renti

zenti ipsi, sed etiam Defunctis applicanda. Ita Lugo, Arriaga, Diana, Amicus, Ferd. de Castro.

Secundum est, quænam opera in specie injungere possint. In autem omnia ad orationem, jejunium, & eleemosynam revocari possunt. Et primò quidem ad orationem revocantur sequentia ferè. 1. Rosarium, Officium B. V. Psalmi penitentiales, Litanie, Preces Congregationis &c. 2. Confessio, Communio. 3. Auditio Missæ. 4. Concionis & Vesperarum frequentatio. 5. Lectio libri spiritualis. 6. Usus examinis conscientie. 7. Renovatio formulæ Congregationis. 8. Meditatio. 9. Oblatio matutina suorum operum. 10. Propositum matutinum abstinendi à certo peccato. 11. Contritio de peccatis elicienda ante somnum. 12. Ante somnum genua flectere coram Crucifixo, & dicere cum Latrone: Domine memento mei propter sanctam passionem tuam. Aut cum Publicano: Domine propitius esto mihi peccatori; aut alium similem affectum elicere. 13. In tentationibus profere SS. nomina JESU, MARIÆ. 14. Interdiu certam quandam orationem jaculatoriam adhibere v. g. DEUS meus, & omnia aut: Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? aut: Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor meum donec requiescat in te: aut: Quomodo possum hoc facere, & peccare in conspectu DEI mei? 15. Sententiam quandam brevem aliquot diebus semel iterumque ruminare v. g. vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare DEUM, & illi soli servire. aut: Statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hoc judicium: aut: Me dereliquerunt fontes aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas.

Secundò ad jejunium revocantur. 1. Die Veneris aut Sabbathi jejunare. 2. Abstinere ab uno ferculo, aut potu gratissimo. 3. Abstinere per hebdomadam, aut certum diem ab hospitio, aut saltu, aut lusu. 4. Abstinere certo die omni cibo, aut potu extra tempus prandii aut cœnæ. 5. Flagris aut alio instrumento corpus castigare. 6. Flexis genibus & expansis brachiis preces aliquas persolvere. 7. Osculari terram. 8. Quotidie per certum tempus aliquem laborem molestum peragere. 9. Dolores morbi aut laboris molestias, aut aliam afflictionem DEO in satisfactionem offerre, & conari patienter eas persolvere.

ferre. 10. Continere se ab omni vitio per unum, alterumve diem. 11. Vitare socium aliquem malum.

Tertiò ad eleemosinam revocantur. 1. Pecuniam, cibum, potum pauperibus largiri. 2. Visitare ægrotos, aut inservire cum charitate. 3. Certas preces pro Defunctis quotidie recitare. 4. Sua opera per certum tempus pro Defunctis offerre. 5. Curare Missas legi pro Defunctis. 6. Indulgentias illis liberaliter applicare. 7. Remittere offensas. 8. Instruere Filios aut alios in rebus ad fidem aut vitam Christianam pertinentibus. 9. Visitare captivos, eosque solari. 10. Mortuos ad sepulturam comitari. 11. Orare pro peccatorum conversione. 12. Cooperari ad emendationem Proximi.

Qu. 4. Quid circa commutationem penitentia observandum sit Confessario? R. duo potissimum ad hanc requiri. Primum est, ut sciat, quas sententias in commutatione sequi tuto possit. Secundum est, ut sciat regulas quasdam ex receptis aliis doctrinis deductas, quibus se in hac commutatione dirigere possit, quales quidem sequentes esse possunt.

Prima Regula. Confessarius posterior eandem habet in commutanda pœnitentia, ejusque quantitate taxanda potestatem, quam prior habuit, qui eam primò injunxit, cum ille in hujus defectum substituatur in ordine ad hunc actum.

Secunda. Pœnitentia, quæ priùs proportionata fuit peccatis, si postea ob subjecti aut alterius circumstantiæ mutatione notabiliter gravior reddatur, non obligat amplius, quam secundum eam portionem, quam in his circumstantiis habet cum ipsis peccatis. Ratio est, quia mens Confessarii imponentis pœnitentiam non erat alia, quam ut stantibus iisdem circumstantiis præscriptam ab eo pœnitentiam Pœnitens persolveret.

Tercia. Si pœnitentia à Confessario imposita major sit, quam pœna, quam Pœnitens debet, non tenetur hic ad pœnitentiam implendam. Hinc si Confessarius imposuisset pœnitentiam pro peccatis in confessione explicatis proportionatam (quantum prudenti conjectura tunc assequi potuit) & Interea Pœnitens dimidiæ partis peccatorum indulgentiam obtinuit, non tenetur nisi ad mediam partem pœnæ persolvendam. Ratio est, quia satisfactio tantum imponitur subjecto capaci, ergo non ultra obligat, quam subjectum capere possit.

Quar-

Quarta. Quidquid boni operis facit Pœnitens in stata gratia, cedit in satisfactionem pro pœna ex antiquioribus peccatis debita (antiqua enim debita, sicut tempore, ita & peccata sunt potiora, nisi ipse Creditor aliter suam intentionem mutet) ergo si Pœnitens post impositam pœnitentiam multa opera exercuit, jam hoc ipso minoris pœnæ capax factus est, & que ad eò pœnitentia à Confessario imposita indirectè immutata est.

Quinta. Si debitum aliqua ex parte dubium est, prudenter facit Exactor, si partem illius cum suavitate eliciat, quam si rigide nimis exigendo efficiat, ut totum onus à se debitor excutiat; unde satis est, aut Confessarius eum disponat ad partem pœnitentiæ licet modicam implendam, quam ut totam negligi, & Sacramentum non integrum relinqui permittat.

Sexta. Ratio satisfactionis in actu non sequitur meritum pœnalitatis, sed meriti; hinc tantò actus est magis satisfactorius, quantò magis meritorius est, ut bene Jo. Sancius d. 3. q. n. 2. & cum eo communiter alii docent.

Septima. Medicinalis pœnitentia non obligat, quando satisfactoria non obstringit. Ita Lugo d. 27. l. 2. n. 2. dicitur communem esse sententiam; & meritò, quia alioquin medicinalis impositio constitueret distinctam partem Sacramenti, eum possit dari casus, in quo nulla pœnitentia, sed sola medicinalis applicari deberet. Unde sequitur, si Confessarius post imponendo levem pœnitentiam liberare Pœnitentem à reatu pœnæ, non obligari ipsum ad graviolem pœnitentiam, quæ simul medicinalis sit, ei imponendam.

Qu. 5. Quid circa actualem impositionem pœnitentiæ observandum sit Confessario? R. 2. Attendendum, ne pœnitentia injungatur in præjudicium tertii, qualis esset, si Ancillæ conjugibus jejunia, aut aliæ duriores carnis castigationes imponerentur, quibus debilitatè officio suo comode fungi non possent. R. 2. Curandum, ut ejusmodi pœnitentia imponatur, quæ non tantum satisfactionis, sed etiam medicinalis sit. R. 3. Non tantum numerus peccatorum, sed etiam meritum, tritio, sexus, ætas, status Pœnitentis, & commoditas, quæ habet ad exequendam pœnitentiam consideranda sunt. Si Pœnitens pœnitentiam justè impositam suscipere non potest, tum hac vel simili ratione ad eam suscipiendam inducatur.

est: Dicitur, mi fili, si Latroni ad mortem gravissimam damnato supplicium illud commutaretur in unicum colaphum, si simulque promitteretur ingens pœmium, si hunc patienter existeret, an putas, hunc latronem justas habiturum causas, conditionem istam recusandi? Ecce, sic res tecum se habet, ad mortem inferni æternam damnatus es, cum qua pœna, si hæc, quam injunxi, pœnitentia comparetur, ne colaphi quidem mensuram adæquat, an ergo etiamnum tergiversaberis in illa acceptanda? R. 5. Si necdum acquiescat, temperet eam nonnihil; satius enim est, Pœnitentem cum parva pœnitentia ad purgatorium, quàm cum magna ad inferna mitti.

Qu. 6. *Quanta pœnitentia pro uno peccato mortali injungenda sit?* R. quoad hoc non convenire Authores; alii enim spiritui lenitatis ducti malunt plerumque videri minus, quàm nimium injunxisse; alii in majores pœnitentias inclinant; rectissime judicare videntur illi, qui totam hanc rem prudentiæ Confessarii relinquendam censent, qui, si ante, quàm ad confessiones audiendas accedat, auxilium divinũ sedulo imploret, meritò sibi polliceri poterit, DEUM sibi inspiraturum, quàm cui vis Pœnitenti satisfactionem injungere debeat. Quòd si tamen in hoc judicio eum aberrare contingeret, DEUS illi non imputabit, cum planè culpandus non videatur Judex, qui judicium tulit, quòd ipsi ratio, causæque conditio dictavit.

Qu. 7. *Quæ pœnitentia in specie diversis statibus imponenda sunt?* R. Etiam hinc totam decisionem unctiõni S. Spiritus & prudentiæ Confessarii relinquendam videri. Nihilominus ut juniores Sacerdotes aliquam directionem habeant, placet aliquas pro diversis statibus subnectere.

Pro Sacerdotibus.

His non facilè orationes longæ & multæ sunt imponendæ, cum ordinariè præscriptæ Breviarii preces satis proluxæ videantur. Ergo si graviolem pœnitentiam ob peccata luxuriæ vel ebrietatis mererentur, expedit illis jejunia, & frequentioram Confessionem, vel Lectionem libri spiritualis v. g. de quatuor novissimis, vel castitate, aut quinque Pater & Ave expansis brachiis per aliquot dies recitanda imponi, ita tamè ut mo-

ut moneantur in fine, si pœnitentia nimis parva sit, ipsos utpote peritos Medicos spirituales jam antè nôsse, quod pœnitentia hæc quantitati peccatorum non respondeat, suaderent, proinde, ut reliquum spontaneis satisfactionibus supplicare studeant.

Pro primariis Personis.

His ferè jejunia injungi non possunt, nec castigationes corporis, quia domestici facilè venirent in suspicionem, quod tale jejunium à confessario impositum esset, maxime si magis quam alias jejulare consuevissent. Itaque poterunt eis imponi vel Confessiones & Communiones menstruæ; vel per aliquam quotidianam flexis, si commodè fieri possit, generatim persolvendæ, vel elemosyna (sive corporalis, sive spiritualis) vel lectio spiritualis, vel abstinencia ab uno certo potu aut cibo, nam mirè conducunt tales victoriae, licet parvæ, ad divinum auxilium promerendum.

Si Matrôna esset, quæ se de superbia & luxuriosis actibus multis accusaret, posset ei imponi, ut sequenti mense confiteatur & communice, & quotidie coram Crucifixi Pater & Ave per certum tempus recitet adjungendo hæc vel similia verba: Ah dilectissime Domine Jesu, tu pedes in cruce totus nudus, & doloribus plenus, & ego non habesco superbis vestibus vestiri, & fœdas voluptates secum ab sit hoc à me, Domine.

Pro Civibus, & mediocris fortunæ hominibus.

His utpote labore domestico plerumque occupatis vitia imponi pœnitentiæ, quàm orationes, aut alia similia exercitia, aut quandoque actus unius aut alterius virtutis. Quia verò diversis dediti sunt vitiis, ideo diversa etiam pœnitentia illis præscribi debent, v. g. si sint in rebus divinis negligentibus, poterit illis imponi, ut diebus festis etiam Concilio & Vesperis intersint, & sub his certas preces persolvant. Si ebriosi, ut unâ alterâve hebdomade ab hospitio abstineant. Si luxuriosi, ut quotidie manè aliquot Pater & Ave flexibus recitent, & proximo triduo vel octiduo ad honorem Christi Crucifixi à mala societate abstineant. Si furtivi &

tribus dediti, ut singulis hebdomadis, si possint, dent certam quantitatem elemosynæ. Pro omnibus autem vitiis generaliter convenit, ut manè, dum surrexerunt, flectant genua & simile suspirium eliciant: O Jesu Servator mi, ego firmissime statuo, hodie propter te ab hoc scelere abstinere: adjuva infirmitatem meam. DEUS in adiutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. Item si imponatur, ut per unum alterumve diem, aut omnia, aut pleraque opera offerant pro animabus purgatorii.

Pro Juvenibus.

His quandoque (sed rarò) imponi possunt jejunia sabbatina, si luxuriæ vacent. Præsertim autem hos affefaciat Confessarius ad preces matutinas & vespertinas (maximè examen conscientie) diligenter peragendas, Missam quotidie audiendam libros spirituales legendos, intentionem sapiùs eliciendam aut renovandam. Hinc si quis multa peccata contra castitatem admissa confiteretur, injungi illi potest, ut post quatuordecim dies iterum confiteatur, & communicet; & si habere possit ex Congregatione, vel aliunde ex libello aliquo spirituali quotidie per hebdomadè, unam, alteramve faciem aut paginam legat præcipuè ex Niceta, Inferno, Trismegisto, Drexelii &c. Aliàs injungi potest, ut quotidie per certum tempus examen conscientie faciat, ibique ferium dolorem, præcipuè de hoc vitio eliciat. Quandoque imperari potest, ut quotidie per certum tempus Missæ intersit & preces Congregationis (si cui inscriptus est) studiosè persolvat. Si gula vitio nimis deditus adverteretur, injungi possit, ut proximo mense vel hebdomade ab hospirio abstineat: die Sabbati ad honorem B. V. extra tempus prandij nihil comedat aut bibat. Si accusaret se de tempore otiosè transacto, & lusùs immoderato usu, præscribi possit, ut per quatuordecim dies sequentes quotidie per horam studio vel labori vacet, & die Veneris ac Sabbati saltem à lusu ad honorem Christi & B. V. abstineat. Si in rebus divinis negligens deprehenderetur, imponi possit, ut per unam alteramve hebdomadem nunquam absit à sacro sine justa causa, in Vesperis librum spiritualem legat, quotidie formulam Congregationis renovet, ejusdemque conventibus diligenter intersit.

Instruct. V.

D

Pro-

Pro Rusticis & Simplicioribus.

His ferè preces injungi debent, & quidem plerumque tales, quas statim eodem die festo, aut proximo perfolvere possunt, v. g. Rosarium, aut alius certus numerus precum, quem adierunt. Quandoque tamen expedit illis injungi, ut proximo mense, cum manè surgunt, recitent ter Pater & Ave, & suis labores simplici modo DEO offerant, noctu verò eandem iterum preces recitent, addantque hoc vel simile suspirium: Ah Domine, propitius esto mihi maximo peccatori. Ah Domine JESU Redemptor mi, doleo ex corde, quòd te summum bonum tam graviter offenderim. Similes pœnitentiæ scelerum etiam ancillis & servis imponi possunt, ita tamen, ut monentur, ne nimis anxij sint, sed, si obliviscantur uno die, alio cogitent pensent.

DE SEPTIMA OBLIGATIONE
Ad exhortatiunculam faciendam.

Qu. I. An Confessarius obligatus sit ad exhortandum Pœnitentem, ut vitia sua vitamque emendet? R. Et si per se non videatur obligatus ad hoc præstandum, non exiguum tamen fructum sperare poterit, si similem adhortationem, ubi commode poterit, prudenter & opportunè adhibeat, quod ut præstare queat, sequentia diligenter observet.

I. Homines religiosi, docti & valde graves, aut in magis dignitate constituti (præcipuè si viri sint) plerumque non sunt arguendi aut admonendi, cum prudenter supponi possit, quòd ipsi jam sciant officium suum, neque adeò magnum ex tali adhortatione fructum hausturi sint.

II. Etiam pueros & puellas non multùm exhortari convenit, cum plerumque non intelligant doctrinas à Confessario datas; si verò se verè arguantur, aut increpentur, facile deterreri se sinant à Confessione, unde non modicum illis detrimentum oriretur. Laudandi potiùs sunt, & admonendi breviter, ut pergant egregiè in bene cœptis, præcipuè autem ad hoc vel illo vitio, cui subjectos illos advertit, sedulo abstinere.

III. Etiam eos, qui frequenter confitentur, si multi Pœnitentes adsint, plerumque sine adhortatione dimittet, si in

in paucis adessent, & personæ alioqui capaces forent, posset eos consiliis suis ad virtutem & majorem perfectionem exstimulare, & promovere; quo tamen in negotio sedulo caveat, ne fructum bonæ sementis à sua potius industria, quam à Deo expectet, ne item nimis Zelosus sit, & Penitentes nimis urgeat, ut uno quasi volatu ad cælum perfectionis ascendant; conetur potius bonas cujusque propensiones cognoscere, & methodum bene vivendi cujusque conditioni, profectui, & viribus convenientem præscribat, præcipue verò laboret, ut Penitentes ipsius assuescant omnia sua opera ad DEUM referre: omnia de manu ipsius acceptare, & ipsius voluntati æquo animo acquiescere: ad B. Virginem in necessitatibus magnam fiducia confugere, & certis quotidie precibus eam venerari: examen conscientie quotidie facere: Sacramenta frequentare: Missam quotidie reverenter audire: Liberorum & Domesticorum sedulam curam gerere; hæc enim omnia, uti magis ab ipsis requirit DEUS, ita præ omnibus aliis supererogatoriis grata atque accepta eidem erunt.

IV. Qui jam contriti accedunt, animandi sunt potius quam increpandi, etiamsi gravia peccata afferrent, quod idem etiam faciendum cum iis, qui pusillo sunt animo, maxime si prima vice ipsi Confessario confiteantur; sic enim paulatim amorem & benevolentiam sibi apud eos conciliabit, efficietque, ut suo tempore etiam acerbiorum, si eâ opus fuerit, medicinam libenter admittant.

V. Qui gravia peccata attulerunt, neque magna signa contritionis ostendunt, castigari quidem poterunt à Confessario, verum in hac castigatione sequentia observanda sunt. 1. Ut abstineat ab omnibus convitiis, & modis loquendi impatientiam & zelum indiscretum ac intempestivum potius, quam Christi mansuetudinem redolentibus, quales v. g. sunt, erue calceos, & ad diabolum descende &c. 2. Ut in ipsa castigatione & modo loquendi condolentiam & sinceram charitatem ostendat. 3. Ut, ubi paulò severius in vitia invecus vitæ increpationis vulneribus affudit, memor sit etiam oleum consolationis adjungere, magnamque se spem de ipso Penitente concepisisse securitatem emendationis ostendat; quæ verò hæcenus paulò acrius dicta sunt, non eò dicta esse, quod ipsius perdonam, sed quod peccata illius & vitia tanquam charitativus

Medius odio habeat, & persequatur. 4. Ut, cum multa peccata exposita sunt, ad unum potissimum, quod ferè radix est cæterorum, curam applicet, ejusque gravitatem bene ostendat. 5. Ut etiam se pro eo oraturum promittat, neque cessaturum, quousque DEUS illius misereatur, & insignem de vitiis victoriam ipsi concedat.

VI. Qui pauca peccata, mortalia tamen afferunt, plerumque non sunt sine adhortatione dimittendi, si qui dem simplices homines & capaces talis instructionis, poterit autem occasio horum ex ipso Festo & tempore, quo confitentur, desumi.

VII. Rustici & ejusmodi homines, cum vix capaces sint altiorum motivorum & doctrinarum, plerumque tantum ad observationem mandatorum divinatorum, & fugam alicujus alterius vitij exhortandi, proque hac exhortatione non alia ferè motiva, quam ex damnis temporalibus aut æternis, quæ ex peccato oriuntur, & commodis, quæ ex observatione mandatorum reportantur, desumenda sunt.

Qu. 2. Quomodo practicè ista adhortationes faciendæ sunt?
R. 1. in genere loquendo tria observanda. 1. Ut brevitas in ne indignationem potius, quam alium bonum affectum & dispositionem excitent. 2. Ut apposite sint, id est, ad presentem Pænitentis statum accommodatæ; ut enim publicæ conciones plerumque parùm fructuosæ sunt, nisi Auditoribus attemperentur; ita hæc quoque exhortationes, ut cum fructu fiant, tantò diligentius Pænitenti aptandæ sunt, quanto solidius est hoc ob cognitum illius interiorem statum præparatum. 3. Ut efficaes sint, id est, solida motiva contineant ad id, quod Confessarius intendit, & status Pænitentis requirit, persuasivum. R. 2. In specie loquendo, etsi suo modo Confessarius si officio suo præclarè satisfacere studeat, & Spiritus S. gratiam ante Confessionem ardentè imploret, sibi aliquo modo replicare possit illam Christi promissionem: cum steteritis (potius sederitis) ante Reges & Præsides (& vestros Pænitentibus) nolite cogitare, quid loquamini: ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adversarij vestri: & Pænitentes, ut hac ratione verificetur, quod Propheta dixit: qui separaverit pretiosum à vili (id est, animam à peccato) quasi os meum erit; nihilominus tamen

DEUS etiam humanam cooperationem & diligentiam requirit, ideo ut Confessarii incipientes formulas aliquas habeant harum adhortationum, placet illis aliquas tum communes pro quovis tempore, tum speciales pro certis festis & statibus huc ponere.

PRAXIS VARIARUM
ADHORTATIONUM.

Adhortatio peccatoris inveterati pro prima vice.

Perdilecte Fili, agamus gratias amantiſſimo Redemptori nostro, quòd per infinitam misericordiam suam iterum à peccatis nostris, imò & ab ipſo inferno liberare te dignatus fit; sicut ergo tibi cum Maria Magdalena remiſſa sunt peccata multa, ita deinceps cum illa multum etiam diligere stude: dilige autem non verbo & lingua, sed opere & veritate, id est, per exactam mandatorum illius observationem: dic adeò cum S. David: Juravi & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Speciatim autem stude vitio ebrietatis eradicando, utpote per quod in tam manifestum periculum damnationis præcipitaris. Nam perpende, fili mi, quid tecum actum foret, si, quod facile fieri poterat, in ebrietate occisus fuisses, aut alia ratione mortem obijſſes? Alii fili mi, noli prodigere salutem tuam tam caro pretio comparatam, sed audi potius consilium Apostoli dicentis: Fratres, sobrii estote, & vigilate, quia Adversarius vester Diabolus circuit quærens, quem devoret, maxime in ebrietate, ubi certior est de cibo jam parato. Sequere ergo consilium hoc, Fili mi, ut, dum hic per momentum abſtines à vili potu, merearis æternum inebriari ubertate Domini DEI, & torrente voluptatis potari. Ita quidem tibi ex animo voveo, precorque. Vale, & DEUM pro me ora.

Alia ejusdem Personæ.

Dilecte Fili, bene egisti, dum, sicut cum prodigo filio peccasti, ita etiam cum eodem à Patre tuo cælesti veniam prostratus petijſti. Superest proinde, ut te pro tali gratia gratum exhibeas, & deinceps Patri tuo amantiſſimo tanto constantius adhæ-

adhæreas quantò sæpius turpiusque, proh dolor! eum de-
 ruiſti. Præcipue verò da operam, ut in luxuriæ vitium amplius
 non labaris, utpote quod DEO tantopere displicere, & tan-
 gravibus ab eo pœnis, puta diluvio, sulphureo igne &c. casti-
 gatum nôſti. Eum in finem, ſi caſtigatio carnis te oppugnet,
 inaginare Chriſtum flagellatum his te verbis compellat:
 En fili, ſic tua me luxuriâ tractavit. Ah noli, fili mi, mul-
 tiplicare vulnera meâ. Abſtine vel nunc à tam fœda voluptate
 & ego millies præſtantioribus voluptatibus animum tuum
 hac & altera vitâ recreabo. Hoc mediò, ſi uſus fueris, certam
 tibi victoriam ſpondeo, quam interea tibi ex animo voveo.
 per preces etiam meas & ſacrificia impetrare non omittam.

Alia pro inveterato Peccatore.

Dilecte Fili, non dubito, quin difficilis tibi accedat mi-
 ipſius & tuorum vitiorum expugnatione atq; victoria, ob quâ
 ex animo tibi compatior; quia tamen ex officio ad tuam re-
 commendationem cooperari cogor; ideo, quàm poſſum, fidelissi-
 mè te moneo, imò per ſanguinem & vulnera Chriſti rogor
 tandem ſalutiſ tuæ rationem habeas, & ſummum tuum Deo-
 factorem peccatis tuis offendere & laeſſere deſinas. Mem-
 to, neminem magnis Dominis impunè illudere. Differre in-
 terdum pœnam DEUS, non aufert; tantòque ſeverius poſtea
 poſtea, quantò diutius pœnam diſtulit. Nec putes, te in hora
 mortis pœnitentiam acturum, quia, qui pœnitentibus veniam
 promiſit, diem craſtinum & ſpatium pœnitendi non promiſit.
 Hodie ergo, ſi vocem ejus audieris, noli obdurare cor tuum,
 ne audias olim: vocavi te, & renuiſti: Ego quoque in inter-
 tu tuo ridebo. Id quod DEUS Clementiſſimus à me & te pœ-
 ter avertere dignetur. Pro ſalutari &c.

Alia.

Dilecte Fili, ſat vides credo, in quàm miſerum ſtatum
 per inveteratam peccandi conſuetudinem præcipitâris. In
 omnipotentis DEI, cujus vices nunc gero, autoritate & no-
 mine ſeriò te admoneo, ut finem tandem ſcleratiſ viæ ſu-
 cias. Secus cave, ne Chriſtus, ut olim Peccatori cui ſimiliſ
 cit, ſanguinem ex latere hauſtum in faciẽ tuam proſpiciat
 dicat

dicatque tremendam illam sententiam: Quoniam noluisti sanguinem meum pro salute tua usurpare, fit tibi is in perditionem sempiternam. Ah, Fili mi, averte tam horrendum fulmen seriae vitae emendatione, & potius Christum per suum sacratissimum sanguinem tanta cum charitate pro te profusum roga, ut sicut humanus sanguis haustus à morbo caduco liberat, ita te quoque virtute sui sanguinis à frequentiori lapsu in tam gravia peccata præservare dignetur: eum in finem ad honorem SS. Vulnerum, ex quibus tam copiosè sanguis ille profluxit, dicas pro salutaris pœnitentia &c.

Alia breviores.

Fili mi, pro salutaris pœnitentia dices, vel facies hoc vel illud &c. de reliquo cogita tibi quoque cum infelici Episcopo Udone dici: Udo, Udo, cessa à ludo: cave ergo, ne si vocem hanc cum ipso spreveris, similem cum eo, id est, infelicem exitum vitæ sortiaris: id quod Clementissimus DEUS à te avertat!

Alia.

Pro salutaris &c. ad gratiam efficacem pro seriae emendatione impetrandam, ad quam ut tu quoque, Fili mi, coopereris serio, unicam tibi sententiam hanc ab ipso DEO dictatam, sapius animo volvendam suggero: Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini: duo mala fecit Populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

Alia.

Fili mi, non dubito, quin ipse statum tuum periculosum, prout decet, æstimes, atque adeò emendare decernas: ut tamen etiam ex mea parte cooperer, id unum tibi pro remedio suadeco, ut imagineris, Christum Crucifixum te sequentibus S. Bernardi verbis alloqui: *Nonne satis pro te vulneratus sum? nunquid pro iniquitate tua afflictus sum? cur addis afflictionem afflictio? magis me aggravant vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.*

Adhortatio communis.

Age, Fili mi, dicamus deinceps cum Apostolo: omnia, quæ retrò sunt, oblitus, ad anteriora me convertito, atque adeò

novo fervore vitæ meæ emendationem auspicor. Quia vero ab hac emendatione potissimum te impedit iracundia tua, ideo totis viribus ad hanc moderandam incumbere, & hunc finem imaginare tibi mansuetissimum Magistrum tuum decem. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inveniatis requiem animabus vestris. Pro salutari &c.

Alia.

Pro salutari penitentia, fili mi, dices &c. de reliquo dicam cum S. Davide, dixi: nunc cœpi; ut autem hoc tuum propositum tantò facilius exequaris, suadeo tibi, ut ad insignem ipsius victoriam toto animo incumbas, & ab hujus potentissimum vitii NB. expugnatione bellum auspicaris. Crede, fili mi, tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Vale, & ora pro me.

Alia.

Video, Fili mi, gravem tibi molestiam creare impatientiam, ad quam ex domesticorum tuorum visis defectibus & erroribus tam facile commoveris. Hanc ergo ut emendes memento, Fili mi, te quoque esse filium & subditum Patris & Domini celestis. Memento insuper, quoties contra hujus voluntatem quid agas? Num autem velles, ut ille ad quem vis defectum tuum mox pœnam de te sumeret, & graviter indignaretur? Disce ergo longanimis & fortis esse in defectibus aliorum supportandis, cogitans, quia & tu multa habes quæ oportet ab aliis tolerari. Si ergo tu, qui plenum iam rationis usum, plenamque in te potestatem ac libertatem habes, non potes te talem facere, qualem vis, quomodo alium poteris facere ad tuum beneplacitum? lege, si placet, pulcherrimum hac de materia caput ex l. 1. de init. Christi c. 16. & plura pro hoc vitio curando remedia reperies.

Adhortatio pro Studioso.

Fili mi, memento, quod Salomon sapienter monuit: In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Quare cum finis studiorum tuorum sit, veram sapientiam procurare, ante omnia eidem dignam sedem, id est, puram conscientiam præparare stude, idcirco ab omni quidem, sed præcipue carnis vitio serio abstinere.

si feceris, certò veniet ad te sapientia, donisque ita replebit, ut dicere cum Salomone possis; *Omnia bona venerunt mihi pariter cum ea.*

Alia.

Fili mi, pro salutari pœnitentia dices ter Pater & Ave, ad impetrandam triplicem dotem veri Studiosi, scilicet pietatem, sedulitatem, & urbanitatem. Hoc enim triplici funiculo, qui difficulter rumpitur, DEUM, Parentes & Discipulos in tui æstimationem & amorem trahes; id quod tibi ex animo opto.

Adhortatio mulieris conjugatæ.

Filia, video sat grave tibi onus accidere, quod obedientia & amor Marito tuo præstandus imponunt. Id ergo ut leviùs deinceps feras, sequere consilium Pauli monentis; Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Christo Ecclesia. Crede, non modicum inde levamen accipies, quia Christi amor omnia amara dulcia, & omnia gravia levia facit. Id certè ut experiaris, ex animo precor.

Alia.

Dilecta in Christo Filia, adverte te ornatùs corporis plùs quo studiosam esse, multùmque impediri in devotionis ac Christianæ perfectionis studio; hunc ergo excessum ut deinceps modereris, pauca illa Christi verba tibi perpendenda suggero: Nõne anima plus est, quàm corpus? Hinc enim facile colliges, quò potius curas tuas convertere debeas. Hoc ergo age, & vives.

Adhortatio Servorum & Ancillarum.

Pro salutari pœnitentia &c. de reliquo, Fili mi, suadeo, ut quò deinceps vitam tuam inter servitia fructuosè traducas, illud saluberrimum S. Pauli consilium implere studeas: Servi obedite dominis carnalibus cū timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut Servi Christi facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus, scientes, quoniam unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à domino.

O Fili mi, hoc modo servire stude, sic enim servire regnare est. Vale, & ora pro me.

Alia.

Pro salutari pœnitentia &c. Fili mi, dices ter Pater & Ave ad honorem SS. Trinitatis, ut dignetur tibi dare gratiam efficacem ad tria monita, quæ omnibus servis semper propria esse deberent, bene observanda. Primum est, ut magis facias statum servitij tui, ut quem ipse DEI Filius, forma servi accipiens, & sanctissima Mater illius ancillam Domini professa elegerit. Secundum est, ut Dominis tuis non urbanis, sed ut Christo servias, atque adeò cum omni diligentia servitium tuum impleas. Tertium, ut opera tua omnia DEO per bonam intentionem quotidie offerre, & non per peccatum mortale infructuosa efficias, sedulo caveas. Hæc si præstiteris, non miserum te, sed ipsi etiam Angelibus beatiorum puta, quam felicitatem tibi DEUS ter maximus concedere dignetur.

Alia.

Compatior tibi, Fili mi, ob molestias quas ex servitiis domesticorum tuorum percipere te dixisti, sed quoniam ex necessitate oportet virtutem facere, luadeo, ut deinceps exemplum S. Catharinæ Senensis imiteris. quæ, cum durè asperèque Parentibus haberetur, in illis Christum ac Mariam intuebatur, neque aliter omnia, quàm si ab his ipsis facta essent, accipiebat; unde singulare robur & solatium hausit. Idem spero Fili mi, si idem feceris. Interea pro salutari &c.

Alia.

Pro salutari &c. Fili mi, de reliquo quòd queraris, tempus tibi ad orandum deesse, scito, quòd non modò Precepta etiam alia opera Orationis vim habeant, si juxta DEI voluntatem peragantur; nam qui conservat legem, multiplicat Orationem, teste Salomone. Tu ergo deinceps S. Augustini prudens consilium sequere dicentis: Vis semper laudare Deum? benefac omnia, quæ facis, & semper laudasti Deum.

Adhortatio pro Rusticis.

Non dubito, mi bone Vir, quòd verum habeas de peccatis tuis dolorem, cum serio proposito abstinendi in posterum.

cialiter tamen te hortor, ut à blasphemis & imprecationibus abstineas; quid enim habes inde, si tali modo blasphemas, aut imprecaris? an fortè equi & boves celerius incedunt? vel certè famuli aut ancillæ diligentius propterea laborant? nequam, quin imò, sæpe deteriores & magis obstinati redduntur. Omitte ergo, mi bone Vir, deinceps verba talia, & si opus est castigatione, potiùs flagellum aut baculum arripe, & corrige delinquentes: vel certè loco blasphemiarum aut imprecationum similia verba usurpare adsuesce: ut DEUS te custodiat, ut DEUS tibi ignoscat, te adjuvet &c. Et sic tantundem, ac per alia illa blasphema verba effecturum te experieris. Pro saluari &c.

Alia.

Pro saluari &c. mi bone Vir; deinceps autem ne indigneris, si DEUS tibi infortunium aliquod submittat, da operam, ut non ad damnum attendas, sed ad commodum, quod sperare potes, si patienti animo id acceptes. Dic enim, bone vir, si dum segetes tuæ jam jamque maturæ forent, & subito quis nuntiaret, eas omnes grandine percussas & destructas esse, an non graviter hunc nuntium sentiret? utique credo. Si autem mox alius superveniret, & grandinem totam ex purissimo auro factam esse indicaret, an non mox iterum exultares, optaresque bene copiosam fuisse grandinem? atqui idem de tribulationibus tuis dictum esse puta. Sustine ergo patienter, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

Adhortatio pro Pueris & Puellis.

Age, mi Fili, utique Dominum DEUM tuum ex corde amas? R. ita. Conf. & ideo doles, quòd eum offenderis? R. ita. Conf. vis autem deinceps probus esse? R. omnino. Conf. facito mi Fili, præcipuè verò diligenter obedi Parentibus & Præceptoribus tuis, & ora diligenter mane & vesperi, ante & post mensam, & in templo, schola, ac plateis modestus esto. Nunquid hæc omnia vis facere? R. ita. Conf. perge ergo, Fili mi, sic te gerere, & cum DEUS te in cælum suscipiet, & Parentes te amabunt, & varia dona offerent.

Adhor-

Adhortatio pro festo Nativitatis Domini.

Dilecte Fili, quandoquidem Nativitatem Domini celebramus, conabimur & nos spiritualiter cum ipso renasci id quod fiet, si firmum concipiamus propositum, vitam nostram serio emendandi, & juxta exemplum ab eo datum imitandi. Præcipue autem commendo tibi castitatis & pudicitiae studium: nam quantopere diligat has virtutes Servator tuus, vel inde colligere licet, quod non nisi ex Virgine nasci voluerit. Ora proin recens natum Infantulum, ut per S. Nativitatem suam tibi gratiam conferat, ut hic quidem cum tu per sinceram emendationem renasci ad gratiam, ibi vero ad gloriam & vitam æternam valeas.

Alia.

Notū tibi est, dilecte Fili, quod celebremus hodie Natalem Domini nostri. Quandoquidem ergo solent boni amici illi die festa & vincula natalitia offerre, tu quoque hunc morem erga Servatorem tuum usurpa, & festi natalitij loco in lignum de te ipso, & vitiis tuis, præsertim autem de N. N. vitiis offer. Nec dubita, quin gratissimum habiturus sit obsequium, & juxta receptum morem sua vicissim munera in gratiæ annuum signum oblaturus.

Pro festo Circumcisionis.

Dilecte Fili, precor tibi ex animo felix anni incunissis auspiciis; ut verò etiam felicem anni cursum experiri merearis, suadeo tibi, ut S. Davidis consilium audias & sequaris: Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies vitæ bonos, & declinat à malo, & fac bonum, inquire pacem, & sequere illam. Hæc duo, si observaveris, certò tibi felicem annum spondeo, quem mihi & tibi concedere dignetur circumcisor JESULUS. Amen.

Alia.

Dilecte in Christo Fili, precor tibi animitus felix annus exordium; ut autem etiam munus spirituale juxta morem oblationis, lapideum cultrum, quo Christus circumcisor est, offero. hortorque, ut eodem omnes occasiones peccandi, mælasque societates abscindas, quæ te toties in casum traxerunt.

Hoc autem tibi haud difficile accidet; si loco malorum socio-
rum Christum pro amico eligas, & ab eo deinceps veras de-
lectationes expectes. Lege, si placet ex libro de imit. 2. cap. 7.
aut 8. & pro salutari &c.

Adhortatio pro festo Paschatis.

Gaudeo ex corde, mi Fili, quòd, sicut Christus corporali-
ter, ita tu quoque spiritualiter à mortuis resurrexeris. Super-
est proinde, ut, quemadmodum, teste Apostolo, Christus jam
non amplius moritur, ita tu quoque sedulò caveas, ne in mor-
tem peccati denuo recidas. Id quod non difficulter obtinebis,
si, quantum malum sit mors animæ seu peccatum, accuratiùs
perpendas; si enim mors corporalis omnium terribilium ter-
ribilissimum est, facile colligere poteris, quid de morte ani-
mæ millies graviori sentiendum sit, hanc ergo totis viribus
fuge, Fili mi, & non modò jucundam in hac, sed etiam glo-
riofam in altera vita resurrectionem mereberis, quod tibi &
mihi per gloriosam resurrectionem suam concedere dignetur
JESUS Christus Dominus noster. Amen.

Pro Cœna Domini.

Dilecte Fili, gratulor tibi, quòd & tu dignus à Christo ha-
bitus fueris, cujus non quidem pedes aquâ naturali, sed ani-
mam pretioso suo sanguine laverit. Hortor te proin, quan-
tum possum, ut puritatem animæ, quam nunc per DEI gratiam
obtinuisti, per eandem etiam conservare studeas. Eum in fi-
nem geminum tibi medium suggero, scilicet, ut & sensus tuos
accuratè custodias, & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum
frequentiùs cum debita reverentia & devotione accipias. Hęc
duo media, si constanter adhibueris, ne dubita, te immacula-
tum Spiritum conservaturum, & olim in manus Creatoris sui
traditurum, atque ad cœnam Immaculati Agni admissum iri.

Pro tempore Passionis.

Placet mihi: dilecte Fili, quòd modò tam ardentè studeas,
fructum Sanctissimæ Passionis Christi per hoc Sacramentum
tibi applicare; quia verò non sufficit semel applicasse, sed
etiam conservari debet hic fructus, ideo hortor te amicissi-
mè, ut ab omni deinceps peccato, utpote per quod hic fructus
destruitur, studiosè caveas, & hunc in finem sæpe consideres
hoc

hoc tempore, quanta & quam gravia tormenta pro peccatis tuis pertulerit Christus. Cave ergo, ne dolores hos de novo renoves; sic & præterita peccata tibi condonabit, & tibi quoque dicet cum Latrone: Hodie mecum eris in Paradiso. quod tibi per passionem &c.

Pro Dominica Palmarum.

Dilecte Fili, quoniam haud dubie cum magno DEI & Sanctorum beneplacito cor tuum ab omnibus peccati sordibus nunc mundasti, merito tibi quoque illa Prophetæ verba applicare potes: Ecce Rex tuus venit tibi mitis & mansuetus. Da ergo operam, ut juxta exemplum turbæ tuæ quoque cum palmis eundem excipias, & in animam tuam introducas; illa autem præstabis, si tibi ipsa vim inferre, & carnalia tua desideria & inclinationes vincere studueris: hoc ergo age, & dignus fies, ut te quoque Christus in altera vita lætus excipiat, & in cælestem Jerusalem introducat.

In festo Pentecostes.

Rectè fecisti, Fili mi, quod per penitentiam dignum Spiritui S. habitaculum præparare studueris. Cave ergo, ne tibi liberalem & utilem tibi hospitem unquam amplius admittas, eumque in finem ullius rei creatæ inordinatum amorem unquam admittas. Id si facies, ille quoque te vicissim amabit, proteget & recreabit, donisque suis adeo replebit, ut jure dicere possis: venerunt mihi omnia bona pariter cum illo. Quod mihi & tibi pariter &c.

Alia.

Adverto, Fili mi, nihil adeo te à sincera emendatione impedit, quam inordinatum, quem animo tuo penitus imbibisti, amorem. ut ergo clavum clavo pellamus, alium bonum amorem introducamus in cor nostrum, scilicet Spiritum Sanctum, cujus hodie festivitatem peragimus. Hunc ergo invocata cum Ecclesia dicens: Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Nec dubitas, quin auditurus sit preces, & dum amoris tui ignem accendit, ab omnibus animam tuam sordibus, & inordinatis affectionibus purgaturus sit, & liberaturus, quod ex animo precor. &c.

Pro festis B. Virginis.

Pro salutari &c. ad honorem B. Virginis dicēs Litanias Lauretanas, ad solidam erga eam devotionem atque fiduciam impetrandam. De reliquo memor semper esto, Fili mi, sententiæ à S. Anselmo prolatae: sicut à te aversus impossibile est, ut salvetur; ita ad te conversus impossibile est, ut peccet. Converte ergo & tu te ad illam per veram fiduciam, ut ipsa quoque vicissim convertatur ad te, itaque te foveat, ac protegat, ut ab omni hoste securus portam salutis cum gaudio olim teneas. Amen.

Alia.

Fili mi, crede & tu tibi hodie dictum à Christo: Ecce Mater tua. Elige eam proin denuo in amantissimam Matrem tuam, & da operam, ut filialem erga ipsam, fiduciam & amorem constanter ostendas. Sic ipsa quoque te vicissim in Filium suscipiet, & hinc quidem materna sollicitudine educabit, ac proteget, & in altera vita optatissimam caelestis gloriae hereditatem impetrabit, quam nobis per merita ejusdem sanctissimae Virginis concedere dignetur dilectus Filius ejus JESUS Christus &c.

Pro subsidio Defunctorum.

Dilecte Fili, tu ipse facile perspicias, quantum debitum per tot peccata apud DEUM contraxeris; crede proinde & tibi hodie dici à Propheta Daniele: Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Quia verò nulla præstantior est elemosyna; quam quæ Defunctis impenditur, hanc tibi præ cæteris suadeo. Sequere ergo tam salubre consilium & quantum potueris, esto erga hos misericors: sic & ipse misericordiam consequeris & quondam per intercessionem animarum adjutus in eandem societatem tuam inexplicabili gaudio admitteris.

DE OCTAVA OBLIGATIONE

Ad remedia præscribenda.

Qu. 1. An Confessarius obligatus sit ad varia remedia pro peccata Penitentis præscribenda? R. affirmativè, nisi prudenter præsumere possit, ipsummet Penitentem hac in parte officio suo satisfacturum, & apta remedia sibi met applicaturum.

Ita

Ita colligitur ex officio Medici, quod Confessario præter medicis officium convenit, atque adeò proprium est, ut merito in hoc potissimum fructus, qui ex confessione speratur, partem esse pronuntiare possimus.

Qu. 2. *Qualia remedia Penitenti sint præscribenda.*
 Resp. hæc duplicis esse generis, communia scilicet & specialia. Inter communia primum & principale est amor DEI, qui merito alexipharmacum dicitur, utpote qui immediate ad ipsam radicem, scilicet inordinatum creaturæ amorem excindendum tendit. Secundum est, frequens ardens Oratio, tum ad ipsum DEUM, tum ad B. Virgines, ceterosque Sanctos directa; cum enim corda hominum in manu DEI sint, & ab hoc solo gratia efficax, sine qua nihil fieri possumus, expectari debeat, merito Oratio frequens & serena inter potissima remedia ad sinceram emendationem obtinendam numeratur. Tertium est frequens Sacramentorum usus, quia per hæc applicatur Sanguis Christi à morbo caduco seu relapsu in peccatum curans & præservans, & simul conferuntur efficacia auxilia gratiæ ad profectum in virtutibus præferendum. Quartum est æstimatio magna gravitatis peccati, quæ ex consideratione damnorum præcipue oritur, hæc rectè ab aliquibus voluptas ex peccatis hauriri solita per Fenellæ Reginæ, quod illa Kemero Regi Conjugi suo ex oculis obtulit, comparatur, quod exterius quidem pulcherrimum apparebat, intus autem plenum erat sagittis, quæ ad tactum Kemeri erumpebant, & vitam auferebant. Tales autem sagittæ sunt offensa DEI, Crucifixio iterata Christi, displicentia Sanctorum, animæ defœdatio & mors, beatitudinis amissio, æternorum suppliciorum acceleratio. Quintum confessoribus novissimum juxta consilium Sapientis: In omnibus diebus mortis memoriâ vicit ille Juvenis peccatum, qui se in lecto ad morientis modum componere à Confessario jussus erat: Hæc mulier illa, quæ in manuum lotionem dicere jussa fuerat: Hæc caro erit esca vermium. Sic recordatione assidua judicium tremi S. Hieronymus se à peccato custodivit. Sic recordatione Inferni Eremita se & mulierculam à peccato deterruit, dum dimissis in flammam digitis dixit: Proba te ipsum hoc, si ignem æternum potes sustinere. Sic Dominus quidam

pro gloria cælesti iram suam moderari didicit, dum audiit famulum suum ad iram magis inclinatum, promissis paucis crucigeris ab omni commotione iræ sibi temperasse. Sextum, memoria præsentis DEI, nam teste Seneca, magna pars peccatorum tollitur (imò omnia) si peccaturis testis (nempe DEUS) assistat. Hoc medio S. Ephrem meretriculam convertit ad scelus sollicitantem, dum ad forum publicum invitavit. Septimum, Examen particulare, quod experientia ostendit efficacissimum esse remedium ad vitia extirpanda, & virtutes plantandas.

Inter specialia media primum meritò locum obtinet contraria cuique vitio virtus; ut enim clavus clavo pellitur, & contraria contrariis curantur, ita id ipsum non minus in vitiis curandis fieri, quotidiana experientia ostendit. Secundum, ostendere cujusque vitii fœditatem ex propriis illius proprietatibus & effectibus, ut si v.g. ostendatur, quàm absurdum sit superbire ob dona, quæ non sunt propria, sed mutuata tantum à DEO; avarum congregare divitias in loco, ubi non est mansurus diu, negligere autem opes, quas secum accipere, sique æternum frui potest: luxuriosum cum porcis volutari in luto voluptatum, & siliquis eorundem pasci. Iracundum tantopere irasci Proximo ob levissimum peccatum, cum interea ipse gravissima committat, & tamen sibi parci, omniâque dissimulari petat à DEO. Ebriosum se ipsum in bestiam convertere, & periculo æternæ & temporalis mortis exponere. Acediosum pro DEI amore & præmio æterno nolle præstare, quod alij vel ex necessitate, vel paucis nummis allekti haud gravatè præstant. Tertium, Christi tormenta per illud vitium procurata consideranda obijcere; si v.g. ostendatur, per superbiam fuisse spineam coronam Christo impositam, per gulam acetum & calicem in monte Oliveti & Calvariæ propinatum, per avaritiam venditum, per luxuriam flagellatum, per iram damnatum, per invidiam accusatum, per acediam crucem impositam. Si ergo irascimur Judæ vendenti, Judæis accusantibus, Pilato damnanti, Militibus flagellantibus & crucifigentibus, an non multò magis sibi ipsi irasci & indignari debet Peccator, atque à semetipso pœnas petere, aut certe deinceps à tam crudeli ausu abstinere? Quartum, exempla particularia pœnarum & damnorum, quæ ex quovis vitio

Instruct. V.

E

specia-

specialiter sunt secuta proponere, quæ proinde Confessarius in memoria habere debet. Quia verò junioribus Sacerdotibus non semper ad manū sunt, & ut supradicta remedia particulatim distinctius cognoscant, atque adeo facilius applicare possint in eorundem gratiam pro quovis vitio capitali (ad hæc enim cætera ferè revocantur) similia remedia annotare placeat.

Remedia contra Superbiam.

I. Sæpe perpendere jubeat, quàm abominabilis DEO sit superbia. Id colligere poterit tum ex S. Scriptura ubi dicitur, abominatio est Domino omnis arrogans; tum ex SS. Patribus, ex quibus S. Chrysostomus dicit: Nihil longius nos ab amore DEI abducit, nihil tam facile in gehennam intrudit, quam superbiæ insania: tum ex pœnis, quibus DEUS superbos castigavit, præcipuè Luciferum, Pharaonem, Nabuchodonosorem, Holofernem, Aman, Clericum, qui fulgureo ense percussus est, quia falsam dixit esse sententiã illam: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: Simonem de Torniacò, qui quia scientiã suã nimium inflabatur, horribili plagâ percussus est, & omni scientiã privatus. Eliam Vicariam Ordinis S. Francisci, qui superbiã suã Angelum fugavit, & omnino appetavit: & tandem Eremitam, qui in agone constitutus Latronem sese prætulit, & damnatus est, uti legitur in Spec. Exemp. d. 9. tum denique ex genere furti, quod committit, furatur enim DEO rem pretiosissimam, quam soli sibi reservavit (alteri enim, inquit, gloriam meam non dabo) furatur Imperatori Regi ac Domino, furatur inspicienti, furatur rem sacram & ad solum DEUM pertinentem, furatur post veniam, non semel, sed sæpius concessam.

II. Jubeat meminisse, quid fuerit, quia sperma fœtidum: quid sit, quia vas stercorum: & quid futurus sit, quia vermium; hoc remedio Angelus Liffardum à superbiæ temptatione liberavit, uti videre est in Spec. Exemp. d. 8 ex 27.

III. Indaget causas superbiæ, & ostendat, quàm exiguam habeat causam inde superbiendi. Hinc si ob divitias superbiat, quærat ipsum, an putet, cum justè superbiat, aliquis Princeps Quæstoris aut Thesaurarii officium commiserit: vel qui jam laqueum in collo haberet ad suspendium futurum: vel cui cum aliis per lutum incedenti plus lutum

fordidae terrae adhereret? vel qui præ aliis difficilem aditum ad aulam regiam, & beneficia ibidem capienda haberet? atqui hæc omnia, uti ex S. Scriptura colligitur, divitibus accidunt, & incidunt enim in laqueos diaboli, & in multa nociva desideria, quæ homines mergunt ad interitum, & difficile ipsis est introire in regnum caelorum. Si ob formæ elegantiam superbiat, quærat, an putet justam causam superbiendi esse, si vas stercoreum pulchro colore, aut vestibus pretiosis ornetur? aut si sepulchra, quæ intus plena sunt fœtore & ossibus mortuorum, exterius eleganter depicta & dealbata appareant? atqui his vas & sepulchris formosi similes sunt. Huc poterit fœditas Isabellæ Reginæ Hispaniæ de mortuæ conducere, quæ Borgiam Ducem Gandiæ movit, ut deserto mundo Religionem ingrederetur. Si ob scientiam quis efferatur, quærat illum, an iudicet, eos Concionatores vel Professores meritò superbiere, qui totam concionem, vel lectionem de verbo ad verbum ex alieno Authoris libro descripserunt, & publicè declamarunt, vel dictârunt? atqui omnis scientia humana ex libro increato Sapientiæ Divinæ desumpta est. Aut, an iudicet, eos Populos, quibus sol citius aut plenius oritur, aut qui lumine ab alio accepto, iterum lumen illud alteri communicant, meritò se aliis præferre: tales autem sunt homines docti, qui illam duntaxat scientiam habent, & alijs tradunt, quam à DEO acceperunt. Suadetur, ut legatur ex Thom. Kemp. l. 1. c. 2. & illa sententia præ cæteris bene perpendatur: quanto plus & melius scis, tanto gravius inde iudicaberis, nisi sanctius vixeris. Si ob dignitatem superbit, quærat, an caminus meritò superbiere putet ex eo, quòd altiores sint reliquis domus partibus? aut Actorem, si mutatis vestibus Personam Principis agat? an navis à tempestate & fluctibus liberior sit, si speciosum Aquilæ aut Victoriæ titulum habeat? an major sit dignitas apud Mendicos (quales sunt omnes homines) in honore & æstimatione esse, quàm apud DEUM? hæc omnia autem viderit in Magnates convenire. Adde, quòd honores qui illis exhibentur, non referantur ad illorum Personam secundum se spectatam, sed quatenus DEUM repræsentant. Unde dicere sibi deberent, quòd quondam Agaso mulo Isidis Deæ statuam portant, & quòd homines coram se in genua proci- dere videret, superbiienti, latus ejus baculo tundens dixit: Non

Non tibi, sed Ipsi, honor iste defertur. Denique si ex sanctitate oriatur superbia, quærat, an is, qui centum milliarum lentorum deberet Principi & unicum tantum obolum solvisset, merito superbiret? atqui si omnes actus Sanctorum eliceremus, nec obolum quidem solvissemus juxta ipsius Christi testimonium dicentis: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus. Item quærat, an merito superbiret Adolescens, qui ex mille constructionibus suarum sine solæcismo fecisset? atqui ex mille operibus nostris unum navo caret.

IV. Hortetur, ut Christum Crucifixum semper ob oculos habeat, & quasi dicentem audiat: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Remedia contra Avaritiam.

I. Jubeat considerare malitiam avaritiæ; nam avaritia nihil est scelestius, teste Ecclesiastico, & juxta S. Paulum avaritia est simulacrorum servitus. Item radix est omnium malarum cupiditatum, quam quidam appetentes erraverunt in fide; & inferuerunt se doloribus multis. Tales inciderunt in laqueos diaboli, ut experti sunt infelix Judas, Giezi, & Euzebius ille; cujus cor post mortem inventum est in arca, ut & ille, qui pecuniam lenti in asperam devorans suffocatus est: item Reginerus Misniæ Episcopus, qui in cubiculo inventus est mortuus ruptis cervicibus thesauro suo incubans. Item dives, cujus anima à nigris Equitibus ad tartara raptata est.

II. Considerare jubeat vitæ brevitate, illaque Christi verba sibi applicare: Stulte, hæc nocte animam tuam reperet à te, & quæ parasti, cujus erunt? an non stultus esset, qui in Indiam proficiscens, & mox reversurus, ibi palatia extruere, aliásque opes, quas inde auferre non liceret, congereret? an si totus esset in iis opibus comparandis, quas sciret in patria nihil æstimari? an non stultus foret Viator, qui itinere suo prope absoluto de magno viatico cogitaret? atqui hæc omnia avari faciunt.

III. Hortetur ad veras divitias, scilicet bona opera & virtutes, comparandas; quas neque fures effodiunt, nec tunc demolitur, nec ærugo consumit; quæ ad omnia sunt utilis, quibus vera beatitudo & regnum cæleste emitur; quæ faciunt

labore acquiruntur: cum magno solatio & securitate possidentur: & cum inexplicabili voluptate in alterum orbem avehuntur.

IV. Ostendat illi, quantarum curarum & damnorum tam corporis, quàm animæ causa sit avaritia; quis autem ultrò se in spinas conjicit? quæ avis in laqueos inviolaret, si periculum mortis nõsset? quis non detestaretur illos homines, qui ad idololatriam incitarent, suaderentque, ut ejecto Christo ex ciborio lutum aut pecunia substitueretur? quis crumenam suam luto repletam loco pecuniæ non doleret? quis non dolet, si falsam pecuniam in magna quantitate sibi ab alio datam advertit? quis Operarius non recusat laborem, ob quem nullum aliud præmium quàm laqueum, quo in patibulum suspendendus traheretur, sperare posset? atqui hæc omnia avaris conveniunt.

V. Jubeat sæpe meminisse, quòd melius sit modicum justo super divitias peccatorum multas: quòd non sit inopia timentibus eum: quòd magnus sit quæstus pietas cum sufficientia: quòd optimæ literæ censuales sint illa Christi promissio: Quærite primùm regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

Remedia contra Invidiam.

I. Jubeat bene considerare, quòd per nullum vitium homo Diabolo sit similior, quàm per invidiam: unde fit, ut sicut erga diabolum nemo bene afficitur, nemo compatitur, omnes oderunt, ita eodem modo homines erga invidum se habeant.

II. Jubeat perpendere, quantorum malorum causa multis invidia fuerit; id colligere poterit ex cæde Caini, venditione Josephi, persecutione Davidis à Saule, morte Christi per invidiam procurata, imò totius humani generis perditione; nam invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum, teste Salomone, si ergo Parentis nostri occiforem in domum nostram non admitteremus, vel certè ibi latentem totis viribus expelleremus, & Judici traderemus, aut, si liceret, ipsi occideremus, an non multò magis invidiam ex domicilio cordis excludamus, quæ utrumque Parentem nostrum, Christum scilicet, & Adamum occidit?

III. Jubeat pariter considerare, quod invidus per iram diam non modò rem illam, ob quam invidet, non eripiat; sed sibi potius corpore & animo noceat, ut bene S. Chrysostomus indicavit dicens: O invidia, quæ semper sibi est inimica nam, qui invidet, sibi quoque ignominiam facit; illi autem cui invidet, gloriam parit. Et, ut S. Gregorius ait, quo alii meliora properant, eo ipso deterius ipse ruit.

IV. Hortetur, ut nihil magnum existimet in hac vita præter DEUM, quem omnes pariter participare possunt, hoc S. Gregorius, parvulus est, ait, qui invidia occiditur, quis ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret.

V. Jubeat frequenter meminisse motivorum, quæ ad fraternam charitatem excitare possunt, qualia sunt maxime eadem natura, eadem Christi beneficia, ejusdem hæreditatis promissio.

VI. Ostendat modum, quomodo se quoque participem facere possit illorum bonorum, ob quæ alteri invidet, si scilicet ob ea ex animo illi gratuletur; sic enim clarè docuit S. Augustinus dicens: Tolle invidiam, & meum est, quod habes. Talis nempe dicere potest cum S. Davide ps. 118. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

VII. Jubeat perpendere gravitatem hujus morbi ex difficultate curandi, quam tres gravissimi Doctores sequentibus sententiis indicârunt. S. Gregorius. Quamvis per vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hoc tamen nequitia suâ tota viscera committens serpens, & imprimendæ malitiæ pestem vomit. S. Basilianus. Invidia ait, tam fœdum malum est, ut invidus ipse se prole non audeat. Simulat propterea gaudium, & tacitè lætatur. Ob quam causam nec medium, nec medicum mali sui facilè invenit. Cassianus denique ait, eum, quem semel peste sui veneni corruperit (invidia) penè diximus curare remedio. Ipsa namque est lues, de qua figuraliter dicitur per Prophetam: Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos. Quis non horrescat ad horum auditum, & invidiam adhuc in se suffocare studeat?

Remedia contra Gulam.

I. Ostendat turpitudinem & gravitatem hujus vitij, præcipuè si usque ad privationem usus rationis injustam (de qua nobis potissimum hic sermo est) ascendat; per illud enim fit homo deterior ipsis brutis, DEI imaginem turpissimâ nota commaculat, assimilatur stultis & amentibus, annumeratur idololatriis, quorum Deus venter est.

II. Jubeat considerare damna, quæ ex hoc vitio nascuntur, quæ in genere primum indicavit S. Gregorius, dum dixit: Ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producantur. In specie verò explicavit Innocentius dicens: Gula Paradisum clausit, primogenituram vendidit, suspendit Pistorem, decollavit S. Joannem Baptistam, Nabuzardan Princeps coquorum templum incendit, & Jerusalem totam evertit. Balthasar inter epulas manum scribentem vidit, & eadem nocte interfectus est à Chaldæis, verbo: Propter crapulam multi perierunt; qui autem abstinens est, adijciet vitam.

III. Declaret, quantum periculum animæ subeant ebrij, id quod ex Jobi testimonio colligi potest dicentis: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Hinc Christus monet, attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa. In confirmationem proderit, unum, alterumve exemplum tragicum narrare, v. g. Holofernis, Ammonis, Israëlitarum (de quibus Scriptura ait: adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis) Adami, Esau, divitis Epulonis, illius, qui animam Dæmoni vendidit, & alterius, qui, quia post computationem gratias egit dæmoni, vivus ab eo assatus est.

IV. Declaret, quomodo gula & ebrietas etiam in hac vita spoliet hominem sanitate corporis, divitijs, honore, famâ. Confirmet hæc omnia exemplo Noë denudati, Loth incestum duplicem admittentis, Alexandri Clitum optimum amicum occidentis. Mariti ob pecuniam gulâ absumptam depauperati, & Liberos panem petentes occidentis &c.

V. Hortetur, ut societatem potatorum fugiat, &, dum hi

ad epulas invitant, ex altera parte Christum Crucifixum ad abstinentiam hortantem sibi imaginetur.

VI. Suadeat, ut in honorem sitientis Christi certo tempore ab hospitio, vel immoderato potu extra tempus prandii aut cœnæ sumi solito abstineat, panâmque pro numero transgressionum sumat.

VII. Commendet studium rerum spiritualium, nam gestato spiritu desipit omnis caro, quod medium eleganter Gregorius suavit his verbis; Gula per abstinentiam frangitur, sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui mentem spiritualibus cibis non replet: potenter enim corpus extenuat, qui amore cœlestium cor inflamat, quia dum spiritualia diligit, desideria carnis valenter premit.

VIII. Suadeat, ut exemplo Christi in tentatione gulam mentem ad meliorem cibum eleuet, dicâtque: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod exit de ore DEI. Vel: Cibus meus est facere voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Vel cum S. Bernardo: Tua Jesu dilectio, grata materis refectio, replens sine fastidio, dans famem desiderio,

Remedia contra Luxuriam.

I. Jubeat considerare, quanta damna corpori & animo hoc peccatum afferat: in quantum periculum salutis occupat: quantam ab eo aversionem DEUS habeat, quam quidem colligere licet ex panis etiam in hac vita immisissis, nimirum diluvio mundi, incendio Sodomæ, & aliarum civitatum, Davidis fugâ, Maritis septem Saræ ab Asmodæo jugulatis, Joannis Lubecensis interitu (de quo vide Nicetam Drexel. l. c. 12. §. 9.) Luxuriosi Presbyteri animam simul & semen edentis, uti videre est in spec. Ex. dist. 1. ex 96.

II. Jubeat bene ponderare difficultatem curandi hoc vitium, si invalescat. Eum in finem in memoriam revocet gradus, per quos in eo ad damnationem ascenditur, quosque Gregorius his verbis indicavit: Ex quo Luxuria mentem animæque occupaverit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestionem oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatio peccatum.

peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatioe desperatio.

III. Moneat illum, quòd luxuria sit similis ollæ incensæ, atque ad eò eadem media ad illam extinguendam adhibenda sint, quæ pro olla refrigeranda adhiberi solent. Sicut enim ad hunc finem aut ligna subtrahuntur, aut aqua superfunditur frigida, aut omnino ab igne olla removetur, ita pariter is, qui luxuriam extinguere cupit, debet aut aquam castigationis & tribulationis superfundere ad imitationem S. Pauli castigantis corpus, ne reprobus efficeretur; aut ligna seu materiam subtrahere per abstinentiam ab immoderato potu & cibo, in quibus teste Apostolo, est luxuria; aut omnino removere ab igne per occasionum fugam.

IV. Frequentem usum Confessionis & Communionis singulariter suadeat, vix enim quidquam his efficacius pro hoc vitio curando reperitur, uti factus est civis Ferrariensis, qui ante hunc usum perpetuis tentationibus vexabatur; & expertus est miles, qui suadente S. Bernardo Eucharistiam accipiens summam mox aversionem à concubina concepit, quam tamen antè summè deperierat, nec posse se relinquere putarat.

V. Fugam otii etiam singulariter commendat juxta notum illum antiquum versum: Otia si tollas, periére Cupidinis arcus; id quod multiplici experienciâ non semel probatum est, præcipuè illius Monachi, qui in seculum redire volens monitus est à Patre spirituali, ut per quadraginta dies in eremum secederet, & labori vacaret. Quod ubi fecit, paulò post dæmonem specie Æthiopiæ obvium habuit, contentémque, quòd per laborem & obedientiam illius devictus sit.

VI. Ante omnia verò suadeat, ut quotidie Christum Crucifixum & B. V. certis precibus venerentur, qui ejusmodi vitio laborant, auxiliúmque ad victoriam de eo reportandam implorent. Ad quod non parùm proderit, si persuadere possit, ut aliquoties ad tantorum Patronorum honorem, maximè die Veneris & Sabbathi à tali scelere abstineant.

Remedia pro Ira.

I. Hortetur, ut Pænitens se præparet ad quoscunque casus patienter ferendos per sequentem considerationem Passionis Christi; nam prævisa tela minùs feriunt.

E 5

II. De-

II. Demonstret illi, omnes injurias vel alia adversa et similia imaginibus, quæ, si à dextris aspiciantur, Christum et à sinistris spectentur, Diabolum representant, hortetur ergo ut illas à dextris intueatur, ut à DEO missas vel permissas, et quidem ex singulari erga illum amore, ad summam ipsius utilitatem; sic enim fore, ut amaturus sit potius lædentes, quam odio habiturus; sicut is, qui defendit theses, argumentantem, etsi vehementer eum oppugnet, amat, gratiasque agit occasione datam profectus sui ostendendi.

III. Proderit ostendisse damna corporis, & animæ, famæ, honoris, & sæpe etiam opum per iram generari solita, quem in finem serviet exemplum de Sapritio Sacerdote Martyrij palmâ privato. Mariti, qui ex ira Filium in agro gladiis occidit, se suspendit, & sic effecit, ut Uxor ad spectaculum convocata, Infantem in balneo relinqueret suffocari, & tam obnum mortuum reperiens etiam se suspenderet. Item illius, qui, ut inimicum per totam æternitatem vexare posset, se perititer cum ipso interemit. Aut Mancipij, quod Filios in lectum domus deductos, postquam Parens nasum & aures filiorum redimendorum gratiâ amputasset, de lecto præcipitavit & post hos se quoque per similem deturbationem interemit.

IV. Suadeat; ut irâ ferventetaceat, uti Christus S. Brigittæ suasit, & Philosophus quidam Regi monito, ut iras prius Alphabetum recitaret, quàm quidquam inciperet. Sic S. David: Turbatus sum, & non sum locutus.

V. Jubeat præmium mansuetis promissum intueri, sic ille dominus putans fieri non posse, ut iram vinceret, didicit à intuitu æternæ mercedis fieri posse, quando alium æque intucundum paucis nummis promissis advertit ab ira abstinuisse.

VI. Quærat, an velit ita secum agere DEUM, quem modum ipse cum Proximo agit, dum scilicet ob quamvis etiam vilissimam rem graviter illi indignatur & irascitur; ergo faciat, quod sibi fieri nollet, nam DEUS mensurâ, quâ metimur alius, etiam nobis remetitur.

Remedia contra Acediam.

I. Ob oculos ponat Christum, qui in laboribus fuit à inventure suæ, & obediens fuit usque ad mortem Crucis pro salute nostra, quid ergo nos pro eodem & salute nostra facere par erit?

II. Jubeat sæpe meminisse caelestium gaudiorum, quæ labori nostro sunt promissa; an non sic ei, ut Jacobo, videbuntur omnes labores breves & leves præ amoris magnitudine? Si Diabolus ad omnia se tormenta Inferni paratum fore dixit usque ad diem judicij toleranda, ut unico momento DEUM aspiciere liceret, quantò magis exiguus & brevis labor suscipiendus est, ut DEUM per totam æternitatem videre liceat?

III. Proponat ob oculos stultitiam hominis in spiritali lucro faciendo negligentis; si enim homini pauperi thesaurus regius aperiretur, atque facultas daretur per unam horam auferendi, quantum vellent, & posset, an non summa væcordia & insania foret, si vel otio, vel nugis horam illam consumeret? cum ergo cui vis homini gratia hæc facta sit, occasioque oblata, quantum volent, meritorum in hac vita comparandi; an non, si otio & nugis vacet, tantò majori reprehensione dignus censebitur, quantò majora erant bona, quæ comparare poterat?

IV. Statuat illi ob oculos Mercatores, Aulicos, Milites, jubeatque considerare, quantos labores suscipiant pro vanissima mercede & honore, quem tamen sæpe non accipiunt; An non ergo erubescere debet, quòd pro veris, æternis, inexplicabilibus gaudijs, & mercede magna nimis, quæ DEUS est, minora longè agere & pati detrectet, aut horreat.

V. Considerare jubeat, quòd aut in hac, aut in altera vita patiendum ac laborandum sit; an non autem omnes hujus vitæ labores præ unius diei tormentis in altera vita eliget.

VI. Alloquatur illum seriò illis Salomonis verbis: Vade ad formicam, o piger, & considera vias ejus, & discite sapientiam, quæ, cum non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Et tu in æstate hujus vitæ non congregabis, quod in æternum comedas?

VII. Denique explicet illi periculum vitæ æternæ amittendæ, in quo versatur, juxta illud Psalmistæ ps. 106. Omnem escam (spiritualem) abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.

DE NONA OBLIGATIONE
Ad Absolutionem dandam.

Qu. 1. *An Confessarius obligetur ad absolutionem dandam?*
R. affirmativè, si legitimè dispositum Pœnitentem inveniat, neque specialis causa occurrat, quæ talem absolutionem saltem ad tempus differendam suadeat. Ratio est, quia, cum ea intentione Pœnitens iudicio Confessarii se subdiderit, in ipso hic ageret, si impletis omnibus, quæ ex parte Pœnitentis ad iudicium hoc sacrum requirabantur, ipse officio Judicis fungitur & Reum absolvere sine legitima causa detrectaret.

Qu. 2. *An possit absolvi, qui tantum in genere dicit se peccasse, nullius autem peccati in specie meminisse posse?* R. ut quidem Coninck & alios apud Dian. p. 3. tr. 4. ref. 132. sentire; sed rectius juxta communem praxin dicendum esse Pœnitenti, ut aliquod peccatum ex præteritis Confessionibus repetat. Quòd si tamen in casu aliquo rariore contingeret, ut nullum peccatum in specie exprimi posset, tunc omnino cum in tali casu absolvi posse, etiam Suar. d. 23. c. 1. Vasq. Salas. Henriquez, Lugo apud & cum Dicast. d. 9. du. 9. n. 744. docent.

Qu. 3. *An possit, & debeat negari absolutio Pœnitenti, si mala emendatio appareat?* R. affirmativè Suarez, & multi alii apud Dian. p. 1. tr. 7. ref. 55. eò quòd talis Pœnitens talis clarum præbeat indicium, se sincerum & efficax propositum vitandi peccata non habere. Quòd si tamen etiam talis extraordinaria indicia veri propositi præberet, in tali casu utique nec Authores citati negarent, illi absolutionem impertirent. Eiusmodi autem indicia exempli gratia censei possunt:
1. Si rariùs sit lapsus. 2. Si occasiones extrinsecas vitandi.
3. Si mediis à Confessario præscriptis diligenter sit usus. 4. Si extraordinarium dolorem ostendat. 5. Si sponte confessionem velut efficacissimum ad emendationem procurandam medium frequentet. 6. Si ostendat, se summo opere ingemiscere sub tali onere, & propterea à Confessario precibus juvari petat, aliâque remedia sibi præscribi postulet. 7. Si ipse asserat, se serium propositum habere abstinendi ab eorummodi peccatis, tunc enim Pœnitenti velut Reo in hoc foro credendum videtur.

Qu. 4. An interdum absolutio possit negari verum propositum habenti, si credatur hac negatio profutura ad emendationem Pœnitentis procurandam? R. Etsi Joannes Sancius in sect. disp. d. 9. n. 11. absolute doceat, nunquam utile aut licitum esse Pœnitenti sciam emendationem proponenti absolutionem negare, eò quòd ex una parte ille jus habeat in tali casu ad absolutionem exigendam, utpote legitime dispositus; ex altera verò parte incredibile videatur, negationem absolutionis plus virium habituram ad emendationem Pœnitentis procurandam, quam habeat ipsa gratia Sacramentalis in Sacramento Pœnitentiæ obtenta, ob quam ab ipsismet Confessariis plerumque illis, qui mollitiei consuetudinem habent, frequens confessio velut efficacissimum remedium suadet; nihilominus tamen contrariam sententiam à plerisque aliis Theologis ut probabiliorem teneri, eò quòd Confessarius non tantum sit Judex, sed etiam Medicus Pœnitentis, atque adeò negare possit absolutionem, si prudenter sperare queat, eam fore efficax medium ad relapsum Pœnitentis cavendum; atqui potest hoc merito sperare, si ex una parte unus tantum in urbe sit Confessarius, vel ex pluribus proprius Confessarius sit valde gratus Pœnitenti; ex altera verò parte Pœnitens valde æstimet, vel ipsum Sacramentum, vel occasionem huic Confessario confitendi. Certè Arriaga d. 38. sect. 6. n. 40. fatetur, se hoc remedio sæpius cum Juvenibus usum esse, feliciterque satis successisse. Neque obstat 1. Quòd Pœnitens sit legitime dispositus; nam etsi ob hanc causam illi non possit omnino negari absolutio, eadem tamè differri potest medicinæ causâ, sicut Medicus nonnunquam rem ægro debitam jubet non statim dari, si ita judicet ad salutem ægri expedire. Neque obstat 2. quòd gratia Sacramentalis majores censeatur vires habitura ad emendationem Pœnitentis procurandam, quam carentia absolutionis; nam etsi ordinariè sic sentiendum sit, potest tamen contingere, ut magis absterreatur à peccato per hanc, quam per illam, cum Homines terrenis rebus immergi sæpe sensibilibus pœnis magis, quam aliis mediis moveantur. Unde & Medici, licet interdum medicinam aliquam optimum credant remedium certo cuiuspiam morbo curando, coguntur ad aliud tentandum, quia illud suum ordinarium medium in aliquo singulari ægro minus profi-

proficuum sunt experti. Neque obstat 3. Quòd Pœnitentia interea mori posset, sicque ex culpa Confessarij in periculum salutis conijceretur; nam R. cùm hoc periculum proprium quum non sit, non teneri Confessarium illud avertere; alioqui nunquam Pœnitentem etiam pro generali confessione facienda & majori dispositione procuranda differre liceret; neque Ecclesia Catechumenos tamdiu à Baptismo arcere deberet. Sufficit ergo, quòd pro tali periculo avertendo remedium contritionis habeat Pœnitens. Rectè tamen circa hunc casum notant Authores, diligenter attendendum esse, num respectu hujus Pœnitentis sit utilior hæc negatio absolutionis, ad quod cognoscendum sequentia in considerationem trahi possunt. 1. An plures sint Confessarij in eo loco, vel alio propinquo, ad quos recurrere possit Pœnitens. 2. An Confessarius sit valde gratus ipsi, ut adeò credatur ægrè ab illo ad alium recessurus. 3. An magni æstimet Sacramentum, atque adeò illius carentiam pro pœna gravi sit habiturus. 4. An non sit indolis parum ingenuæ, ut facilè sit contempturus hanc pœnam, & habeat vitio laxaturus. 5. An non odiosum futurum sit ipsi hoc tribunal, si ei absolutio negetur. 6. An brevi redire possit ad absolutionem modò negatam accipiendam. 7. An non timendum sit, ne Confessarium apud alios de severitate infamet, atque adeò plures alios ab hujus Sacramenti usu avertat, quæ omnia suadent, cautè admodum, & non nisi rarissimè hoc remedio utendum esse.

Qu. 5. *An ei, qui Concubinam habet, neganda sit absolutio?* R. posse semel aut iterum ei concedi absolutionem, atque eam expellat; postea tamen negandam, nisi actu ejiciat, aut juret, se ejecturum. Et licet Joannes Sancius doceat, si Concubina esset valde utilis ad bona temporalia, vel etiam vitam non molestè agendam, non teneri Pœnitentem, eam expellere; id tamen rectius negant plerique alij, nisi valde notabile damnum ex expulsionem sequeretur.

Qu. 6. *An si Debitor est in mora solvendi, & sapius cogitetur, neque tamen habet animum solvendi, absolutio illi negari debeat?* R. Molina & Bonacina apud Dian. p. 2. tr. 17. rel. 3. esse absolvendum, si Creditori ex illa dilatione detrimentum non sequatur.

Qu. 7. *Qua forma in absolutione adhiberi debeat?* R. sequentem plerumque in Ritualibus præscribi; ita, ut ante confessionem, si Pœnitens benedictionem petiverit, dicat: *Dominus sit in corde tuo, & labiis tuis, ut dignè & competenter confitearis peccata tua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Post confessionem verò peractam, & pœnitentiam impositam dicat: *Misereatur tui Omnipotens DEVS, & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam aternam. Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen. Dominus noster IESVS Christus te absolvat, & ego auctoritate illius absolvo te à vinculo excommunicationis, suspensionis (si Clericus sit) & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri IESV Christi, & memoria beata MARIÆ Virginis, & Omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, vel mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratia, & præmium vitæ aternæ. Amen.*

Qu. 8. *An hæc forma etiam usurpanda sit, ubi vel casus necessitatis, vel frequentia magna confitentium accelerationem suadet?* R. in tali casu satis fore, si oratio illa: *Dominus noster IESVS &c.* dicatur. Imò si necessitas agonizantis urget, omnino sufficeret, si diceretur: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris &c.* Quia tamen plerumque, quando magna frequentia Populi adest, spatium aliquod temporis, donec alius in Confessionale subintret, intercedit, ideo eo tempore oratio *Passio Domini nostri &c.* recitari potest.

Qu. 9. *An, & quando absolutio sub conditione danda sit?* R. in sequentibus casibus. 1. Si dubitatur de sufficiente usurpatione in Pœnitente. 2. Si dubitatur de materia necessaria absolutionis; quamvis in tali casu melius sit repetere peccatum ex priori confessione. 3. Si tantum peccatum dubium afferatur. 4. Si prudenter dubitetur, an Pœnitens sufficientem dolorem habeat, uti apud Rusticos & alios homines simplices non infrequenter accidere videtur, ut qui interrogati semper affirmant, se dolere, sæpe tamen nihil minùs agunt, uti Tannerus d. 6. q. 9. n. 3. & Reginaldus l. 8. c. 1. f. 2. inquirant. 5. Si Confessarius moraliter certus sit, Pœnitentia

terra

tem unum peccatum negare, v. g. si Sponsus peccatum carni-
cum Sponsa commissum confiteatur, & Sponsa neget, hoc
interea non confessum fit alibi. 6. Si moribundus, qui nullas
signa dedit, nec Confessarium petijt, absolvendus esset.

Qu. 10. An, si absolutio sub conditione danda sit, conditio
verbis formalibus in forma absolutionis exprimi debeat: an ver-
bo sufficiat, eam mente solum concipi? R. Posse quidem Con-
fessarium securè sequi praxin & sententiam communem Au-
thorum asserentium sufficere, si sola mente apponatur, uti vi-
dere est apud Dian. p. 10. tr. 11. ref. 55. Quia tamen Cas-
muel l. 3. de consc. d. 4. a. 2. n. 1495. acriter contendit, invali-
dam esse formam, nisi conditio expressè addatur; & præ-
terea in Sacramento Baptismi Ritualia jubent explicitè post
conditionem, ideo securiùs videri, si idem etiam in hoc Sa-
cramento fiat, nisi fortè quis cum Neotericis quibusdam
Theologis formam communem absolutionis ob illa verba:
in quantum possum, & tu indiges: semper conditionatam esse
existimet.

DE DECIMA OBLIGATIONE

Ad Sigillum Confessionis servandum.

Qu. 1. Quid intelligatur per hoc Sigillum? R. per illud
nihil aliud intelligi, quàm obligationem strictissimam Juris
divini, ad reticenda omnia, quæ in ordine ad Sacramentalem
Absolutionem in Confessione sunt dicta, & quorum revelatio
onerosum vel odiosum reddere Sacramentum Pœnitentiæ
posset. Ita Hermannus Busenbaum. l. 6. tr. 4. c. 3. dub. 1. Vo-
catur autem sigillum, quia, sicut sigillum facit, ut ea, quæ
per illud clausa sunt, detegere aut auferre nō liceat, nisi ab eo,
qui potestatem habet frangendi sigilli; ita & hæc obligatio
simili modo revelari vetat ea, quæ in confessione sunt acce-
pta. Vocatur etiam hoc sigillum *Sacramentale*, quia ex Sa-
cramento oritur, & ut distinguatur à Sigillo *naturali*, quo
quisque jure naturæ obligatur ad ea reticenda, quæ sub lecte-
to accepit.

Qu. 2. Quæ cadant sub hoc Sigillum? R. sequentia fere
1. Omnia peccata Pœnitentis cum intentione confitendi ma-
nifestata in confessione, tam venialia, quàm mortalia: tam
ficta, quàm vera. 2. Etiam Complicis detecti peccata, etiam si
hæc d
fita, l
ribus
pecca
habet
se
poris
non f
Pœnit
quoa
simili
tamen
pericu
riores
alios
l. c. c
notiti
nis p
proce
hæc P
quod
vertat
Fagur
contr
Qu
R. cu
plici
quiq
mani
Domi
ut ruc
poral
Eccle
clasio
nentis
Infici
velan
etiam
lentis

hæc detectio imprudenter foret facta. 3. Pænitentia imposita, si gravis sit, & plerumque pro mortalibus, aut certè pluribus peccatis venialibus injungi solita. 4. Circumstantiæ peccatorum, ut si quis confiteretur, se nobilitatem, quam non habet, jactasse, aut illegitimè natum Ordines sacros suscepisse. 5. Virtutes, aut defectus naturales Pænitentis, aut corporis occulta vitia, aut scrupuli &c. quoties hæc alioqui nota non sunt, & eorum manifestatio prudenter creditur ingrata Pænitenti futura, odiumque Sacramenti paritura. Etsi enim quoad hæc non omnes Authores æqualiter sentiant, & aliqui similia objecta ex materia Sigilli eximere conentur, rectius tamen facit Confessarius, si hac in materia, ut remotior sit à periculo, reverentiæque Sacramenti magis consulat, severiores, securiorisque sententias sequatur. 6. Etiam ea, quæ alios concernunt, & tamen peccata non sunt, uti Busenbaum l. c. cum Mald. & Dian. docet. 7. Omnis ea actio, quæ ex notitia peccati cum periculo directæ vel indirectæ revelationis procedit. 8. Etiam gubernatio alterius ex tali notitia procedens, licet absque periculo revelationis facta; quia & hæc Pænitentem à Confessione absterere possit. 9. Factum quodecunque ruborem vel molestiam Pænitenti creans, si advertat id ex notitia confessionis procedere; uti probabilius Fagund. Gran. Lugo & alii apud Busenb. l. c. n. 4. sentiunt contra S. Thom. Vasq. Bonac. & alios.

Qu. 3. *Quibus titulis obligetur Confessarius ad tale Sigillum?*

R. cum Ludovico de Ponte to. 4. de perf. tr. 5. c. 6. septemplici titulo eum obligari. 1. Titulo *Præcepti naturalis*, quo quisque obligatur ad ea reticenda, quæ ab altero sub Secreto manifestata sunt. 2. Titulo *Præcepti divini*, quod Christus Dominus noster proposuit, cum Sacramentum hoc instituit, ut tunc Pænitentes confiteri, & bonum spirituale absque temporalis boni jactura accipere possent. 3. Titulo *Præcepti Ecclesiastici* gravissimas pænas depositionis ab officio, & reclusionis perpetuæ in Monasterio Transgressoribus decernentis, ut in cap. Sacerdos de pænit. videre est. 4. Titulo *Instituta* ad conservandam Proximi famam, secretaque non revelanda obligantis. 5. Titulo *Religionis* ad reverentiam Sacramento Pænitiæ exhibendam & conservandam impellentis; ratione cujus tituli omnis violatio Sigilli Sacramentalis

Instru. V.

F

talis

talis est horrendum sacrilegium. 6. Titulo *Charitatis*, qui jubet omne scandalum Proximi vitari; quale utique foret, si ipse per revelationem peccatorum in confessione explicatorum à Sacramenti hujus usu averteretur. 7. Titulo *Fidelitatis*, quam tum erga DEVM velut illius Minister in hoc Sacramento legitime administrando exhibere tenetur; tum etiam Proximo præstare, secretum sibi ab eo commissum fideliter custodiendo.

Qu. 4. *An cum licentia Pœnitentis de iis, qua in confessione audita sunt, agere cum ipso, vel cum alio extra confessionem possit?* R. affirmativè D. Thomas, Suar. Præp. Tanh. & alij apud Busenbaum l. c. resp. 2. ref. 1. modò licentia talis sit formalis & expressa, ac spontanea, id est, per nullas preces aut metum, vel dolum extorta; non tamen opus est, ut verbis formalibus fiat, sed sufficit, si ipse Pœnitens extra confessionem dictis in confessione loqui incipiat, tunc enim facto ipso censeatur licentiam dare; cum utique ideo loquatur Confessario, ut directum ab eo responsum accipiat.

Qu. 5. *An etiam sine licentia Pœnitentis aliquando de auditis in confessione loqui possit cum Pœnitente Confessarius?* R. licet in re distinctionem fieri ab Authoribus, & 1. quidem extra Confessionem id non licere, plerosque tenere, etiam si de essentiali errore in confessione admissio monendus foret (quem casum tamen Suar. Laym. Filliut. & Turrian. apud Busenb. l. c. exceptum volunt) 2. autem intra Confessionem, mentionem fieri posse præcedentium, tum communis sententia contra Fagund. & Dian. ib. cc. docet; tum ipsa praxis Confessariorum Pœnitentes suos ob relapsum arguentium, & interdum etiam absolutionem negantium confirmat.

Qu. 6. *Qua cautela adhiberi debeant, ut hoc Sigillum non violatum à Confessario servetur?* R. sequentes potissimum adhibendas. 1. Ut firmum faciat decretum, nunquam de auditis aut cognitis in confessione loquendi, etiam si nullum subesset periculum sigilli violandi; sic enim tantò facilis cavebit sermones, quibus vera atque formalis violatio sigilli committeretur. 2. Ut, ubi ab aliis sermo de Pœnitentis sua confessione motus fuerit, aut nihil respondeat, torvòque potius vultu sermonem hujusmodi sibi displicere ostendat; vel certè apertè dicat, non esse hîc locum de ejusmodi rebus discurren-

turrendi. 3. Ut sub actuali auditione peccatorum faciem diligenter strophio aut alia re obtegat, ne ex vultu signum aliquod displicentiæ ex peccatorum narratione haustæ ab adstantibus vel aspicientibus colligatur. 4. Ut, ubi absolutio- nis verba profert, vultum æqualiter ad modestam serenitatem compositum gerat, maximè si ob gravia peccata in confes- sione aliqua audita, vel crassitiem & ruditatem Pœnitentis non- nihil ad iram & indignationem se commotum adverteret. 5. Ut etiam manum sinistram, si fortè eam super genua deposi- tam habet, quietam tenere asuescat, ne variâ agitatione sus- picionem aspicientibus moveat commotionis ob gravia Pœ- nitentis delicta conceptæ. 6. Ut, ubi frequens est confiten- tium accursus, & compressio, sedulò caveat, ne clariori voce periculum sigilli violandi incurrat, maximè si Pœnitentem debiliori auditu præditum sit nactus, tunc enim præstat ejus- modi Pœnitentem (si in Sacristiam, aut alium separatum lo- cum deduci non queat) citiùs expedire, quàm longiori ser- mone vel adhortatione periculum incurrere, ne ab adstanti- bus dicta audiantur.

DE UNDECIMA OBLIGATIONE Ad Confessiones actu excipiendas.

Qu. 1. *An sit aliqua obligatio obligans Sacerdotem non cura- tum ad confessiones audiendas?* R. per se loquendo, & extra ar- ticulum mortis, non esse ullam obligationem confessiones aliorum excipiendi; quia nullus apparet titulus, ex quo talis obligatio oriri queat. Dixi tamen: *extra articulum mortis*: quia in tali casu, cum Ecclesia Catholica etiam simplicibus, & non approbatis Sacerdotibus potestatem conferat audiendi confessiones, omnino lex charitatis obligat, ut in extrema necessitate constitutus non privetur tali auxilio, si alius ap- probatus Sacerdos non adsit, qui possit idem officium præ- stare.

Qu. 2. *Quantam obligationem habeat curatus Sacerdos ad confessiones excipiendas?* R. cum Ludovico de Ponte to. 4. de perf. tr. 5. c. 2. triplici potissimùm tempore eum ad confes- siones suorum Parochianorum seu Oviùm excipiendas obligari. Pri- mum est, cum ipsi Parochiani, sive propter præceptum Eccle- siæ, sive propter præceptum divinum in articulo mortis, te- nentur

nentur peccata sua confiteri, si possunt; tunc enim merito
 ipse utpote ad hoc specialiter deputatus obligatur ad occa-
 sionem illis faciendam huic præcepto satisfaciendi; ne alio-
 qui, si quis in peccato mortali moreretur, sanguinem illius de
 manu Parochi requirat DEVS. Alterum tempus est, cum ob
 aliquam necessitatem non extremam confessiones suas audiri
 petunt; v. g. quando in grave peccatum mortale lapsi in Sa-
 cramentum gratiæ redire desiderant; aut gravibus tentationibus,
 scrupulisve vexantur; tunc enim jure suo recurrunt ad Pastro-
 rem & Medicum suum, qui sine gravi, urgentique causa non
 potest eis remedium negare, aut differre, ne forte talis dilatio
 sit causa ruinæ spiritualis, aut certè difficilioris curationis.
 Tertium tempus est, cum ob profectum & perfectionem suam
 majorem procurandam confiteri petunt; ut si ob indulgentiam
 aliquam obtinendam; vel Festum aliquod solemniter
 celebrandum; vel utilitates ex sacra Confessione & Commu-
 nione hauriri solitas participandas peccata sua audiri debe-
 rent; nam, cum in talibus casibus per virtutem Sacramenti
 gravibus culpis præserventur, atque in virtutum exercitiis,
 gratiæque crescant, omnino ad Pastorem ratione Officii sui
 pertinet, eisdem ad tales fructus consequendos cooperari, ne
 alioqui jure apud cælestem Patrem conquerantur, quod ipsi
 velut in perfectione Parvuli petierint panem, & non fuerit,
 qui frangeret eis. Quin & ipse summus Pastor animarum Chri-
 stus justissimam de talibus Pastoribus velut Vicariis suis con-
 querendi rationem habebit, quod cum ipse exemplo suo præ-
 ierit, & apertè Jo. 6. dixerit: *Omne, quod dat mihi Pater ad
 me venit. Et eum, qui venit ad me, non eieciam foras: quia des-
 cendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius, qui
 misit me:* ipsi exemplum hoc imitari neglexerint, neque in
 salute ac perfectione animarum procuranda, prout vocatio
 ipsorum requirebat, cooperari Pastori suo summo studuerint.
 Quæ omnia sanè jure merito Pastori persuadere deberent, ut
 non solum descriptis his tribus temporibus, quantum sine in-
 cunctura majoris boni fieri poterit, promptissimum sese exhibeat
 ad confessiones ultrò accurrentium & petentium audiendas;
 sed etiam, ubi eos rariùs accedere advertit, ad crebriorem hu-
 justam necessarij & salutiferi Sacramenti usum omni adhibe-
 tâ industriâ ac conatu invitet, & incitet; sic enim iterum
 exem-

exemplo suo summus Pastor Christus docuit, qui ovem perditam tam sollicitè quæsit, nec à quærendo destitit, donec inventam in ovile reduceret. Quem in finem non parùm proderit, si Pastores Animarum saluberrimam S. Chryostomi exhortatione frequenter perpendant, sequentibus verbis expressam. hom. 29. in epist. ad Rom *Perpendamus Ovium Pastores illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum studiis patiantur. Illi saepe numero unumversum triduum nive obruti perdurant. Dicuntur autem, & qui in Lydia sunt, non minima mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarumque bestiarum plenam vagando circumveunt. Si tantum erga pecora diligentia impendunt Pastores illi, quam quæso excusationem habebimus, quibus Anima rationales concreta sunt, quòd profundum hunc somnum dormimus? respirare enim omnino oportebat: quiescere autem omnino, & non circumquaque percurrere, innumerisque etiam mortibus seipos pro ovibus istis exponere, id demum non est boni Pastoris. An ignoras gregis huius dignitatem? An illius gratiam Dominus tuus innumera non fecit? an non postremo & sanguinem sudis? Tu verò requiem quaris? & quid Pastoribus istis poterit peius esse? an non perpendis, quòd oves istas circumstant, Lupi multo amaricatiores & scæviores? an apud te ipsum non reputas, quàm mente sit opus ei, qui talem Praefecturam sit administraturus? & homines quidem, qui Populis praesunt, si quando de rebus fortuitis consulturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent; nos verò, qui pro ipso celo certamen habemus, ipso quoque die dormimus? Quis, quæso, ab eo nos supplicio eripiet, quòd istis debetur? si enim corpus irucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat; numquid ad hoc munus tanquam ad nundinas currendum erat? Et post pauca? Bonus Pastor, & talis quidem, qualem Christus vult, cum innumeris componi potest Martyribus, si quidem Martyr semel tantum propter ipsum moritur, hanc verò millies propter gregem: si modo talis sit Pastor, qualem esse oportet. Talis enim Pastor singulis diebus mori potest: strenuo hic animo opus est.*

Qu. 3. *Quibus motivis se Confessarius quilibet excitare possit ad confessiones cum magna alacritate ac constantia audiendas? R. ijs potissimum, quibus P. Ludovicus de Ponte se excitavit, quæque in vita ejus manuscripta sequentibus verbis expressa*

leguntur, uti P. Nicolaus Lancizius opusc. 13. n. 429. testatur. Primò Confessiones, inquit, audire est actus heroicus, qui valde placet DEO, quia in hoc actu Confessarius iuvat ad reducendas animas ad suum Creatorem, & ut eis reconciliatur, & hoc magis immediatè, quàm in aliis. Secundò, quia ibi exercet opera misericordiæ spiritualia, & spiritualiter corporalia. Ibi docet ignorantes, corrigit errantes, condonat injurias DEO illatas, solatur tristes, orat pro vivis, & darbona consilia. Ibi redimit captivos, & soluit è carcere incarceratos condonatione peccatorum: vestit nudos veste gratia, dat cibum, prout illo opus habent. Et ita puto bonum Confessarium inventurum DEI misericordiam. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, quia non est elemosyna, quæ hanc adæquet. Tertiò, quia in hoc ministerio satisfacimus officio nobis à Deo commendato; sicut Sacerdotis est officium consecrare Corpus Christi Domini nostri; ita ejusmodi officium est, posse absolvere, & condonare peccata, quia pro utraque re recipit potestatem. Et ita, qui habet licentiam & sufficientiam, quando hoc facit, facit suum officium, & qui est ex Societate, habet hoc ex instituto & obligatione suarum Regularum. Quartò, quia in hoc officio se homo vincit, & multas repugnantias carnis, & est cum minori applausu, quàm concionari. Hucusque ille. In quorum confirmationem proderit etiam meminisse historiarum, quæ in magno Speculo Exemplorum V. Confessio ex. 18. his verbis descripta legitur: Quidam Frater bonus Prædicator habuit multos Filios & Filias confessionis, hanc virtutem habuit, quòd pauperularum & devotarum Personarum confessiones libenter audiebat. Quo jacente in extremis, quædam mulier devota vidit in excessu mentis, quòd idem Frater erat Filius perditionis, usque dum Spiritum exhalare debuit, & tunc Dominus misertus salvavit ipsum. Nam ejus animam egressa descendit in gravissimas incendii pænas, sed ipsa die mortis sue vidit lacrymas & orationes devotarum Filiarum suarum magnam partem incendii ejus extinguere. Horâ autem liberationis ejusdem Fratris venit vox ad eandem Sororem dicens: Propera ante Altare S. Catharinæ, quia ibi hodie dedicatio erit (in isto enim Altari idem Frater solitus erat celebrare) quæ jussa complens vidit Fratrem illum duci è purgatorio, &

venire super idem Altare, & protinus multi Filii & Filia ejus, qui antè obierant, & ad Patriam discesserant, descenderunt de caelo, eumque secum in caelestem Patriam abduxerunt. Atque his & similibus motivis quàm plurimi Confessarii sese excitant ad confessiones cum magna charitate & promptitudine audiendas, quorum aliquot exempla ad excitationem languidorum Confessariorum breviter placet enarrare. P. Petrus Faber, ut in vita illius l. 2. c. 12. legitur, Confessiones audiens cogitabat, se scoparum instar esse, quæ, cum cætera verendo purgarent, ipsæ sordidæ relinquuntur. Ad hanc ergo operam Famuli instar suum studium Christo offerebat, precabaturque hominibus Societatis, ut scopæ illius fieri, & appellari possent; habere enim DEVM in domo sua, multa nobilia instrumenta, sibi autem & aliis fociis abunde fore, si scoparum loco esse concederetur, cujus rei gratiâ aliquando Sacrificium obtulit, ut ipse & Socii dici possent, splendidæ Christi & gloriosæ scopæ. P. Vincentius Castagnola, cum in Confessionali quotidie per multas horas sederet, sæpe autem nemo in templo esset, rogatus causam, cur nihilominus tam constanter sederet? egregium hoc responsum dedit: Mercatores & Opifices læpissimè, cum nihil vendunt, spe tamen lucri in suis tabernis otiosi sedent, cur non perinde Confessarius in luctum spirituale intentus, magnâ patientiâ expectet, donec aliquis adveniat, & prædicti lucri obtinendi occasionem præbeat? Annal. Tolet. Coll. Madrid. 1613. anni. P. Consalvus Mederius, post Sacrum manè lectum, toto matutino tempore pedem è Confessionali non efferebat, nisi obedientia vel charitas avocaret, uti Historia Societatis p. 1. l. 12. n. 66. testatur, quæ etiam l. 8. n. 31. de P. Silvestro Landino narrat, eum ab horis antelucanis usque ad secundam noctis horam, nullo tedio, nulla fatigatione consistentes audivisse. Magis verò admirandum est, quod de P. Ægidio Gonzalez annuæ Collegii Madritani anno 1596. pag. 402. commemorant, quòd scilicet, quamvis triginta duos annos variis regendi muneribus, Provincialis, sæpius quoque diversarum Provinciarum Visitator exegisset, sexagesimum quartum ætatis, quadagesimum quintum in Societate explevisset, variisque morbis fatigatus esset, tantâ tamen assiduitate confessiones exceperit, ut juvenum bene validorum operam æquaret; sed &, cum in

morbum fatalem incidisset, adhuc ex lecto confessiones audiverit; unde tantum contraxit habitum, ut jam morti proximus atque à mente destitutus confessiones sibi audire videretur, atque inter mortuis vocibus, absolutionis formam identidem pronunciaret. Neque DEVS tam fidelium suorum Ministrorum labores & charitatem favoribus suis destituit; ceterè de Patre quodam, annuæ Collegii Taurinensis ann. 1594. restantur, eum dum in confessionibus audiendis tenuissimo cuique dat operam tanta divinæ dulcedinis ubertate completum esse, ut nunquam meminerit, se majorem expectatum fuisse.

Qu. 4. *Qua potissimum impedimenta absterere soleant à confessionibus alacriter, promptèque audiendis & quomodo ea removere, vincereque debeat Confessarius?* R. quatuor potissimum esse impedimenta, per quæ non pauci Confessarii à confessionibus audiendis absterrentur. Primum est, *timor duplex*; quo vel varios errores in confessione admittere ob casuum difficiliorum occurrentium solutionem timent; aut certè castitatis ob varia peccata luxuriæ audita violandæ periculum incurrere verentur. Sed neuter ex his timoribus Confessariû absterere debet, quò minus confessiones libenter & alacriter audiat. Non primus, quia Christus hoc tribunal non per modum carnificinæ (quis enim non horreret, in tali casu officium Judicis suscipere?) sed pro solatio & remedio Peccatorum instituit, atque adèò ad Sacramenti hujus administrationem non summam, sed mediocrem duntaxat diligentiam requirit, quam cum facillè adhibere possit Confessarius, meritò sperare potest, quòd facienti tibi, quantum est in se, DEVS suam gratiam tantò minus sit denegaturus, quanto majus habet desiderium, ut hoc Sacramentum alacriter & fructuosè à suis Ministris administraretur. Sed neque secundus timor absterere debet; quia, ut sapienter noster P. Balthazar Alvarez c. 5. vit. dixit, securitas in agendo cum Proximo, cum ex obedientia (vel charitate) fit, est valde magna, adèò ut si quis obediendi causa infames Feminas accederet, ut illas Christo lucraretur, cum eis agens mundissimas haberet cogitationes, quasi esset Angelus DEI; & si ex propria voluntate in cubiculo maneret, frædis ibi cogitationibus ureretur. Speret ergo, si Christum velut Filium DEI, & Sacramentum hujus

hujus Authorem sibi gratiâ suâ assistentem habeat, experturum se, quod tres Pueri in fornace Babylonica sunt experti, & à flammis luxuriæ illæsum mansurum. Sed & certò sibi persuadeat, plùs longè DEO placiturum, si cum sincera intentione solius DEI gloriæ, & salutis animarum procurandæ, & firma fiducia in divino auxilio confessionale pro confessionibus audiendis accedat, quàm si ob inutiles scrupulos & vanum timorem se à confessionibus excipiendis absterri sinat.

Alterum impedimentum est *Horror molestia*, quæ in excipiendis confessionibus crebra sanè, ac non levis accidere solet; sed cum, teste pio Asceta l. 3. de imit. c. 5. amor onus non sentiat, & labores non reputet, facilè has omnes molestias supportabit, si cor suum ardenti DEI, Proximi, quin & sui ipsius ordinato amore inflammare studuerit; & quantopere per hoc Ministerium DEI gloriam promovere, Proximo prodesse, & proprium meritum augere possit, paulò accuratius perpendit. Certè omnes horæ, quas in confessionibus audiendis consumpserit, videbuntur illi breves præ amoris, quo in divinam gloriam, animarumque & propriam salutem atque perfectionem rapietur, magnitudine.

Tertium impedimentum est, eorum, quorum confessiones excipiendæ sunt, *ruditas ac simplicitas*, nec non & *status humilitas*; hinc experientia, utinam non crebra! ostendit, aliquos Confessarios, quando Personarum nobiliorum vel honoratorum, maximè Feminarum, confessiones excipiendæ sunt, promptos se ad id obsequium exhibere; secus verò, si non nisi ad Rusticorum, aliorumque simplicium Hominum confessiones audiendas vocentur; de quorum Zelo jure illud Thomæ Kempensis l. 1. c. 15. dixeris: *Sape videtur esse charitas, & est magis carnalitas, quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis raro abesse volunt.* Qui enim veram erga DEXM, Proximum, & seipsum charitatem seriò semel concepit, & finem, quem debet, sibi propositum habet, non modò non horrebit ejusmodi Personarum confessiones excipere, sed potius easdem præ aliis omnibus optabit, & fovebit, eò quòd in earum confessionibus audiendis major quidem labor, sed minus etiam periculum reperiat, & præterea DEI beneplacitum, animarum salus, & proprii meriti augmentum ob sincerio rem intentionem, &

generosorem sui victoriam multò copiosius obtineatur, ipse
 que Confessarius tum DEVM (cujus est cum Simplicibus ser-
 mocinatio, teste Salomone prov. 3.) tum Christum (qui pro
 omnibus æqualiter mortuus est, & insuper dicebat: *Sin-
 Parvulos, & nolite prohibere, venire ad me.* Matt. 19.) perfe-
 ctius imiteretur. Meritò ergo Confessarius, qui ejusmodi in se
 aversionem erga simplices, rudésque Personas sentiet, illam
 sibi S. Jacobi c. 2. exhortationem applicabit: *Fratres mei, no-
 lite in Personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESU
 Christi gloria. Etenim si introierit in conventum (aut confes-
 sionale) vestrum vir aureum anulum habens in veste candida,
 introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis ad
 eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu seds bene:
 pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut seds sub scabulis
 pedum meorum; nonne indicatis apud vosmetipsos, & facti estis
 Iudices cogitationum iniquarum? Audite, Fratres mei dilectissi-
 mi, nonne DEVS elegit Pauperes in hoc mundo, divites in fide,
 & hæredes regni, quod repromisit DEVS diligentibus se?*

Quartum impedimentum est fervor & pruritus ad alia ne-
 gotia & functiones per agendas: sed quæ nobilior functio, quod
 majus negotium incumbere potest Confessario, quam con-
 fessionum audiendarum, maximè si hîc & nunc charitas &
 obedientia id exigant? quid aliud potest Confessarius (si qui-
 dem legitimam intentionem habeat) in illis functionibus
 quærere, nisi beneplacitum DEI, animarum salutem, & me-
 ritorum propriorum incrementum? cum autem hæc omnia
 perfectius in confessionum audiendarum functione reperian-
 tur, quam in ullo alio, an non meritò relictis aliis negotiis
 in hoc unum toto studio, animique conatu incumbit? maxi-
 mè cum sic prudenter sperare possit, DEVM postea ad reliqua
 officii sui functiones tantò copiosorem gratiam largiturum,
 quantò digniorem se illâ per præcedentem charitatis & obe-
 dientiæ nobilem functionem fecerit; nam, ut rectè Sanctus
 quidam Doctor Ecclesiæ dixit, scientia (& quicunque alius
 fructus aut emolumentum) quæ propter virtutem despiciunt,
 propter virtutem melius recuperantur.

Qu. 5. Quæ industria à Confessario adhibenda sint, ut con-
 fessiones cum debita perfectione & fructu audiat? R. sequentes
 potissimum adhibendas videri. 1. Ut magnificat hoc mu-

mus tanquam unum ex iis, quæ muneri Pastoralis præcipue sunt annexa; ideoque etiam cum magna alacritate, quoties occasio datur, ad confessiones audiendas accedat; Et quidni magnificat Confessarius hoc munus, cum ad talem æstimationem, sive supra se, sive infra se, sive extra, sive intra se convertat, magnopere impellatur. Nam 1. Si *supra se* convertat sese, videbit nihil gratius esse DEO Patri, cujus imago devotata renovatur, & Filius prodigus reducitur; Nihil DEO Filio, cujus oves tanto pretio emptæ, perditæque reducuntur; nihil Spiritui sancto, cujus templa diruta & polluta reparantur, & conciliantur. 2. Si *infra se* convertat sese, advertet, nihil salubrius se posse præstare purgantibus animabus (si enim unicum duntaxat misericordiam opus illis tantopere prodest, quantum proderit illud opus, quod omnia ferè misericordiam opera comprehendit, uti auditionem confessionum comprehendere, supra ostensum est) nihil magis odiosum Diabolo, ut qui ultrò quondam factus est, nihil esse in Ecclesia, quod tantum ipsi noceat, quod sic virtutem ipsius enervet, quam confessio, eò quod per hanc vincula peccatorum mortalium, quibus hominem constrictum tenet, rumpantur. Hinc S. Augustinus in lib. de pæn. ait: *Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix Daemonum. Quid plura? obstruit os inferni, portas aperit Paradisi.* 3. Si se *extra se* ad ipsos Pœnitentes convertat, quid utiliùs illis præstare potest, quam si summo morbo animæ depulso, sanitatem integram restituat? ex inimico amicum DEI constituat? ex inferno ereptum cælo transcribere laboret? 4. Denique si se *intra se* convertat, quid utiliùs est ad augmentum meriti? quid digniùs, quam DEI Vicarium & Judicem in remittendis peccatis agere? quid jucundiùs, quam animas tam pretiosas lucrari, & cum iisdem æterna felicitate frui?

Si ergo Mercatores ad illas Nundinas, in quibus magnum lucrum, licet frequenter falsò, sperant, magna celeritate accurrunt, totisque diebus, etiam cibi & potùs oblitì, in tabernis hærent, atque Emptores expectant; quanto magis Confessarius ad confessionale, in quo tam insigne ac certum, tum animarum, tum meritum propriorum lucrum sperare potest, accelerare, atque in eo, quamdiu Pœnitentes vel Emptores salutis suæ adsunt, perseverare debet. Si Christus ad

Centurionis Puerum vocatus mox dixit: *Veniam, & curam* eum, quidni idem Confessarius ad suos Pœnitentes curandis vocatus faciat, & dicat: O quantum solatium capturus esse Confessarius, si promptum se in hoc obsequio præberet, dis- que de ipso quoque, ut olim de Christo dici posset: *Et omnia turba quærebat eum tangere* (vel ei confiteri) *quia visum se illo exibat, & sanabat omnes.* Luc. 6. 2. Ut fugiat in Confessionibus audiendis, quidquid exoticum est, & singularitatem sapit; sed potiùs conformitatem cum aliis Sacerdotibus omni ratione servare studeat; & meritò, tum quia etiam Se- culares, quando literas dant, in quibus debita remittunt, vel gratias indulgent, omnes conditiones & formas ad contractum & privilegium requisitas exactissimè observant; tum quia talis conformitas est singulare omnium actionum ornamentum, atque aded in Sacramentis propter eorum excellentiam specialiter observanda est; tum quia denique etiam ad ipsius Confessarii, & aliorum devotionem excitandam (quem ob finem ejusmodi cæremoniæ potissimùm instituta sunt) non parùm conducit eadem conformitas; tum quia per ejus- modi conformitatem etiam inter ipsos Confessarios concordia animorum generatur, à qua potissimus confessionum fructus dependet; ut enim ex dissidio Medicorum diversa pharmaca præscribentium grave plerumque ægrotis periculum creatur; ita ubi Confessarii in erudiendis & tractandis Pœnitentibus discordes fuerint, & alter in severitatis, alter in lenitatis nimix spiritum procedit, meritò destructio potius & perturbatio Pœnitentis, quàm ædificatio sperari potest. Accedit, quòd Dæmones omni studio fructum confessionum impedire conentur, atque aded deceat Confessarios per concordiam unitos esse, ut tantò fortiores contra insidias & machinationes Dæmonum existant. Sed & ipsum denique Confessarii officium hanc conformitatè exigit, cum enim omnes Agni mansueti, qui tollit peccata mundi, Personam sustinent, meritò quoque omnes illius mansuetudinem imitari, atque aded uniformem procedendi modum observare debent.

3. Ut sedulò caveat, ne aut ipsi Pœnitenti, aut ulli alteri per confessionis exceptionem ullum scandalum aut offensæ occasionem præbeat. Quæ doctrina aded cordi fuit S. Ignatio Societatis JESU Fundatori, ut nihil minùs pati posset, quam

si Subditorum suorum quispiam vel minimam etiam, licet imprudens, causam offensæ præbuisse. Hinc dicere solebat, teste Orlandino l. 16. hist. Soc. n. 122. in Societate, duo esse hominum genera; unum eorum, qui exstruerent solùm: alterum eorum, qui simul exstruerent, & destruerent. Primum genus sibi probari, & esse eos, qui Zelo uterentur considerato, providentes, ne quam damni causam non modò re, sed ne specie quidem darent; neve ij offenderentur, qui, si Adversarij fierent, possent nostrum in divino obsequio, & salutis publicæ studio impedire cursum; atque adeò quædam, quæ rectè alioqui fiebant, omittenda censebat, non damni privati formidine, sed operum respectu potiorum, quia sæpenumero, dum parùm cautè quid attentatur, nec illud efficitur, & mora multis aliis obijcitur. Illa ergo lucra animarum præcipuè operabat, quæ, quantum fieri posset, nullius in offensionem incurrerent. 4. Ut in confessionibus audiendis meminerit, se Judicem, Medicum, & Magistrum, seu Patrem spirituales agere, ideòque paternam quandam & spirituales gravitatem ac severitatem potiùs, quàm nimiam familiaritatem ostendat; nam, talis familiaritas præter alia incommoda & pericula triplicem parit contemptum. 1. *Ipsius DEI*, dum per mutuam amorem agglutinati Pœnitens & Confessarius, DEI amorem tantò magis imminuunt, quantò magis in sensibili suo & periculoso amore proficiunt. 2. *Confessarii*; dum propter familiaritatem nimiam minùs timetur, & exhortationes illius exiguo fructu audiuntur. 3. *Conscientia*, dum propter lenitatem Confessarii liberiùs peccatur. Paternam ergo gravitatem assumere potiùs oportet, quæ in eo consistit, ut & à blanditiis, & à nimia severitate absteatur, itaque simul & ametur, ac timeatur Confessarius à Pœnitente, quemadmodum Patres à Filiis suis amari ac timeri solent. 5. Ut in iisdem confessionibus excipiendis sapientissimum S. Francisci Xaverii monitum observare studeat, qui, ut vitæ l. 6. c. 17. legitur, confitentibus non festinatam, sed diligentem navandam operam censebat, monens Confessarios, ut præoptarent, confessiones paucas ritè factas audire, quàm multas temerè peractas. Quæ enim confitentes intentius excuti posse? quæ eorum fraudibus, odiis, vitiis adhiberi remedia, nisi per otium curarentur? an verò dubium esse, quin confessio una rectè instituta, multis

multis cursim peractis præferenda sit? cum præsertim confessio aditum aperiat ad sanctissimum Sacramentum. Quæ tamen omnia de his præcipuè intelligenda sunt, qui rarius confitentur, aut majori infirmitate præmuntur; nam alioquin necessitas aut specialis utilitas hoc non suadet, præstat citius expedire Pœnitentes, tum ad molestiam aliorum pariter confiteri volentium cavendam; tum ad multa pericula & incommoda, quæ ex longis & inutilibus colloquiis oriri solent, atcedenda. 6. Ut singulari studio noxiam illam, & à Confessionali omni studio eliminandam Zelotypiam, quæ Confessarij interdum accensi ægrè ferunt, si sui Pœnitentes alijs confitentur, diligentissimè devitet, ad hoc enim faciendum non leves eum causæ impellere debent. Nam primò, nemo venit ad Confessarium, nisi Pater cælestis traxerit illum; si autem hic Pœnitentem ad alium Confessarium trahit, quam causam querelæ habere potest neglectus Confessarius, maxime, si solum DEI beneplacitum & voluntatem quærat, quam æque in non audito perficere & implere potest? Secundò, etiam si Proximi seu Pœnitentis salutem sincerè quærat, gaudere potius, quam tristari de discessu deberet, cum seipsum minimum omnium, atque ad omnia ineptum esse, sibi persuadere debebat, adeoque prudenter præsumere possit, Pœnitentem ab alio Confessario & peritius & efficacius curatum iri. Tertio, quia nihil ipsi etiam de merito decedit per discessum Pœnitentis, cum & voluntas ipsius bona, quæ audire paratus erat Pœnitentem, suo merito non sit caritura; & præterea, dum alteri Confessario, ad quem transit Pœnitens, de fructu obtento gratulatur, ejusdem se quoque participem faciat juxta illud S. Davidis pronunciatum: *Particeps ego sum omnium misericordiarum tuarum, & custodientium mandata tua.* Psal. 118.

DE DUODECIMA OBLIGATIONE

Ad errores in confessione audienda commissos emendandos.

Qu. *An Confessarius obligetur ad errores in confessione commissos emendandos?* R. pro resolutione hujus quæstionis distinguendum esse inter triplicis generis errores.

Primum genus est errorum ad substantiam pertinentium,

ut si Confessarius non habuit potestatem absolventi: si legitimam intentionem non elicuit: si formam debito modo non prorulit, aut absolutionis oblitus est. In his ergo casibus sic se gerat Confessarius. 1. Si potest adhuc corrigere errorem durante Confessione, corrigat; quòd si Pœnitens discesserit, aut sit in ipso habitu, saltem brevioris absolutionis formam proferat; imò id facere potest, si adhuc ante confessionale, aut non procul aectentem videat, uti docent Coninck & Bonac. apud & cum Ferd. de Castro p. 4. tr. 23. p. 18. §. 3. n. 3. quia Pœnitens hoc ipso, quòd fecerit confessionem cum intentione recipiendi absolutionem, censendus est in ea voluntate perseverare, donec eam recipiat; secus foret, si à conspectu Sacerdotis pro aliquo tempore recessisset, tunc enim idem Author putat, non esse absolutionem non præmonito dandam ob periculum, ne ob novum peccatum commissum omnino irritum efficiatur Sacramentum. 2. Si in ipsa confessione emendare non possit, possit verò moneri commodè Pœnitens de defectu, omnino eum monere debet, etiam non petita prius facultate cum eo loquendi, cum talis monitio dirigatur ad perficiendum Sacramentum ritè factum, atque adeò pars illius censetur, unde Suar. d. 33. l. 5. n. 3. & Laym. l. 5. tr. 6. c. 14. n. 15. docent, etiam renuente Pœnitente talem monitionem fieri posse. 3. Si absolutio propterea videtur manca fuisse, quia Confessarius non habuit jurisdictionem sufficientem, & omnino non detur occasio monendi, non multum angatur, cum probabilis sit sententia Sanch. l. 1. Summ. c. 9. n. 35. Laym. Ferd. de Castro & plurium aliorum doctentium indirectè & validè à mortalibus absolvi illum, qui Confessario jurisdictionem plenam non habenti saltem unum cum his peccatum confitetur, in quod jurisdictionem habet, talis Pœnitens autem unum utique saltem peccatum veniale confessus sit, in quod qui vis Sacerdos jurisdictionem habet. 4. Denique si casus daretur, in quo neque hoc solatium habeat, id unum superest, ut doleat de negligentia & culpa, si quam commisit, & pro Pœnitente oret, ne DEVS permittat illi ex tali errore grave damnum oriri, de reliquo tranquillus sit, & deinceps cautius in hoc iudicio procedat.

Secundum genus est errorum ad damnum tertij vergentium, ut, si Pœnitentem deobligavit à restitutione alteri facienda,

vel

vel certè obligavit, quando non debuisset: aut si quærentium hanc vel illam actionem cum damno alterius confessionem licitè exercere possit? affirmativè respondit: aut si ob peccatum aliter, quàm merebatur, apprehensum, gravem nimis & indiscietam pœnitentiam imposuisset; in quibus casibus sequentia observet. 1. Non inutiliter & inordinatè agatur ob restitutionem à se loco Pœnitentis faciendam, cum Suar. Vasq. Coninck. & plures alii doceant, non contraxisse Confessarium ullam obligationem restituendi, nisi mala sine damnum tale procurasset. 2. Si potest monere Pœnitentem, & errorem corrigere, ubicunque potest, occasionem capessat, etiam extra confessionem, secretò tamen monendi, cum charitas erga Pœnitentem id jure ab ipso postulet. 3. Si neque hoc potest, certas preces, aliave opera pro eo, qui damnus ex illius errore passus est, offerat, ut saltem eo, quo potest, modo procuratam à se jacturam recompenset.

Tertium genus est eorum errorum, qui ad solam instructionem Pœnitentis pertinent, nec cum speciali illius damno sunt conjuncti, exceptâ ipsâ erroneâ instructione, ut, si diceret, matrimonium aut sponsalia valida esse, quæ non sunt valida: si liberaret aliquem à voto quo verè obligatur; in talibus ergo casibus ita se gerat. Et 1. si potest, per se doceat errorem, dicens, se rem meliùs considerasse, & hanc, quam modò proponit, doctrinam tutiorem sibi videri. 2. Si per se non possit, videat saltem, an non per alium corrigere possit errorem, cum hæc materia ad sigillum Sacramenti non pertineat, atque adeò sine scrupulo revelari possit, nisi constet, Pœnitentem aliter velle. 3. Si neque hoc modo error corrigi queat, ad preces, ut suprâ dictum est, confugiat.

De Scientia facti.

Ad hanc propriè pertinet, ut Confessarius cognoscat, an & quale peccatum, mortale scilicet, vel veniale, unum vel multiplex commiserit Pœnitens; unde sequentia bene nôsse debet. 1. Quænam peccata ex genere suo mortalem, vel venialem malitiam contineant. 2. Quæ circumstantiæ aggravent peccatum, vel novam malitiæ speciem superaddant. 3. Quæ circumstantiæ ex mortali veniale, & vicissim ex veniali mortale faciant. 4. Quomodo cognosci possit numerica distinctio

atio peccatorum; quæ quidem omnes quæstiones breviter nunc resolventur; nam fusior & accuratior explicatio ad Theologos morales pertinet.

De peccato mortali in genere.

Qu. 1. Quid sit peccatum mortale? R. esse id, quod ob sui gravitatem, gratiam & amicitiam cum DEO solvit, pænâque æternam meretur. Unde rectè concludunt Theologi, Confessarium non facilè debere Pœnitentem peccati mortalis damnare; maximè si eum timorata aliàs conscientia esse cognoverit, nam, ut Richardus à S. Victore p. 1. pag. 389. ait, mortale peccatum est, quod non potest committi sine gravi corruptione sui, sine gravi læsione Proximi, sine gravi contemptu DEI. Jacobus Alvarez p. 3. l. 1. c. 17. §. 5 ait: Consensum in peccatum mortale esse tam impium, ut non possit celari, & ignorari. Deinde si quis statim post factum dubitet, an deliberatè consenserit, vel facti statim pœniteat, probabilius judicari posse, eum non consensisse, cum tanta sit malitia peccati mortalis, ut in recenti facilè agnoscat, nec forte animus à DEO aversus tam subito ad eum converti.

Qu. 2. Quenam peccata ex genere suo sint mortalia? R. Ea esse, quæ vel per se lædunt charitatem DEI, vel Proximi, vel nos ipsos graviter corrumpunt. Potissimum verò inter hæc peccata numerantur illa, quæ contra virtutes Theologicas aut contra Decalogum patrantur. Peccata quoque capitalia, licet non omnia, quia non omnia DEVM aut Proximum: aut nos ipsos graviter lædunt, uti de superbia, avaritia, gula, &acedia communiter sentiunt Authores.

Qu. 3. Quæ peccata mortalia specie differant? R. ea potissimum, quæ vel diversis virtutibus, vel certè eidem virtuti extremè opponuntur, vel quæ diversam difformitatem habent, id est, quæ adeò diversa ratione & malitia ejusdem virtutis materiam attingunt, ut, quantum est ex natura ejusdem peccati, non sit eadem facilitas moraliter loquendo, neque propensio utrumque peccatum comittendi, qualia sunt homicidium, furtum, adulterium, detractio, & similia.

Qu. 4. Quæ circumstantia ex mortali veniale faciant? R. tres potissimum. Prima est, defectus sufficientis advertentiæ. Pro qua cognoscenda sequentia indicia à nonnullis afferuntur.

tur. Primum est, quodcumque materia actionis vel omissionis, de qua dubitatur, num fuerit deliberatè cum peccato suscepta, nullam continet specialem delectationem respectu voluntatis illius, à qua profecta est, signum est, ne semiplenam quidem advertentiam adfuisse. Hinc sequitur, non esse peccatum mortale, si quis ad illationem gravissimi mali graviter exandescat, quia initium iræ exortæ in tali casu plerumque est motus primò primus duntaxat. Secundum est, quodcumque materia actionis, de cujus honestate dubitatur, est valde grata appetitui, & aliquis advertit, se illi non nihil inhæsisse, aut alium effectum non bonum secutum esse, vehemens suspicio est, adfuisse non nisi semiplenam advertentiam, ut si quis advertat extraordinarium appetitum erga aliquod genus cibi, & habenas se laxasse cum aliqua operatione corporis. Tertium est, quodcumque actio veritatis circa materiam gravem à persona bene morata & valde timida suscepta est, præsumenda est in dubio non plenè consensisse. Hinc non censetur consensisse, qui animum firmum, & sæpe repetitum propositum habuit non peccandi mortaliter, uti Sanch. & Bonac. apud Ferd. de Castro p. 1. tr. 2. d. 2. p. 6. n. 5. docent. Item si facilè possit peccatum exequi, & cum compos sui est, pro viribus respuit, non enim affectus tam facilè mutatur. Ita idem Ferd. l. c. & Tambur. l. 1. c. 1. §. 3. n. 28. cum Sanch.

Secunda circumstantia est *defectus perfecti consensûs*, cuius indicium est, si, cum potuerit facilè exequi peccatum, non fecerit: si dubitet, num consenserit: si ita sit affectus, ut malitè mori, quàm deliberatè mortaliter peccare: si valde timide & suspectè se processisse meminit: si semisomnis fuit, nec sui compos: si actio non sit intrinsecè mala, aut in perniciem alicujus totius communitatis (cujus bonum privato præferendum est) vergens, & eam quis ex metu mortis aut alterius gravis mali suscipiat, ut si v. g. metu mortis sine vestibus sacris celebret, concedat enssem furenti, teneat scalas furis, contrahat matrimonium cum impedimento dirimente, porrigat Eucharistiam Peccatori occulto, uti probati Authores apud Dian. p. 3. tr. 6. re. 48. docent.

Tertia circumstantia est *defectus materia gravis*, qui ex fine, circumstantiis, & numero actuum inter se unitorum colligitur.

pendus est; unde peccat mortaliter, qui eodem die Festo sæpius parum laborat, aut die jejunii sæpius parum comedit, cum intentione perveniendi ad notabilem quantitatem; non autem, qui diebus diversis hoc facit.

De peccato veniali.

Qu. 1. *Quid sit peccatum veniale?* R. esse peccatum, quod ob suam levitatem non tollit amicitiam & gratiam DEI, minuit tamen fervorem, & pœnam temporalem meretur.

Qu. 2. *Quanam peccata ex genere suo venialia censeantur?* R. ut plurimum ea omnia, quæ contra proprium bonum commissa sunt, v. g. inutilis & vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas cultus & vestitus, nugæ, otium, excessus in cibo & potu, somno, usu conjugii, risu, timore, tristitia, appetitu pecuniæ, laudis &c.

Qu. 3. *Quibus modis peccatum veniale in mortale transeat?* R. sequentibus. 1. *Ratione finis adiuncti*, ut si quis mentiat ad copulam carnalem extorquendam. 2. *Ratione finis ultimi*, ut si quis ita erga rem levem afficiatur, ut malit transgredi præceptum sub mortali obligans, quam illam relinquere. 3. *Ratione scandalis*, seu ruinæ mortalis Proximo per illud creandæ, ut si quis coram Junioribus ex consuetudine verba blasphema sine intentione blasphemandi usurparet. 4. *Ratione periculi* incidendi in peccatum mortale, ut si quis partes occultas alieni corporis vel sexus ex curiositate aspiciat. 5. *Ratione contemptus*, ut si quis legem DEI, aut Regulas sui Ordinis, quatenus ordinem seu respectum ad legislatorem dicunt, contemnat. 6. *Ratione erroneæ conscientie*, ut si quis mortale putet, quod tamen per se tantum veniale erat.

De Circumstantiis Peccatorum.

Qu. 1. *Quotuplicis generis circumstantia sunt, quæ in peccato specialem considerationem merentur?* R. duplicis potissimum, scilicet aggravantium & speciem mutantium; prioris generis sunt, quæ peccatum in sua quidem specie relinquunt, sed tamen faciunt, ut majus longè peccatum reputari debeat; ut si quis furtum 100. florenorum committat. Posterioris generis sunt, quæ peccato novam specificam differentiam addunt, ut si quis dictos centum florenos ex gazophilacio fur-

retur, ut sic enim jam non furtum duntaxat, sed sacrilegium dicitur.

Qu. 2. Quomodo circumstantia speciem mutantem cognoscantur? *Re.* varias quidem ad hoc regulas ab Authoribus abferri (v.g. quòd illa circumstantia speciem mutet, quæ transfert actionem ad vitium alteri virtuti oppositum; vel ob quod peccato nomen novum exprimens illam malitiam impotum est; è contrario verò circumstantia, quæ non auget malitiam, nisi aliam præsupponendo, dicenda sit non mutare speciem) sed quia illæ non omnino infallibiles & universales videntur, ideo rectius videtur facere Confessarius, si quid in particulari de circumstantiis speciem mutantibus Authores doceant, ex ipsis eorum libris cognoscere studeat.

De Numero Peccatorum.

Qu. 1. Unde colligi possit distinctio numerica peccatorum? *Re.* ex duplici capite. 1. Ex objectis diversis numero non tantum materialiter, sed etiam formaliter distinctis; unde ocula, tactus, verba impudica copulam antecedentia, vel subsequenta, vel comitantia, unum numero peccatum constituent quia ad eundem actum & finem referuntur. 2. Ex interruptione morali actuum, quæ fit vel per contrariam voluntatem & propositum; vel per liberam cessationem ab actu; vel per cessationem naturalem v. g. somnum; vel per distractionem, quæ tamen in externis actibus tantum moralem interruptionem facit.

Qu. 2. Unde cognosci possit, num plura objecta coniungantur in ordine ad unum grave peccatum constituendum? *Re.* ad hoc Confessario hanc regulam servire posse; Quodcumque plures actiones per intentionem operantis ordinantur ad unum actum constituendum, tunc inter se uniti dicendæ sunt. Hinc qui plura furta minuta committit cum intentione perveniendi ad notabilem quantitatem, graviter peccat, uti Lugo, Sanch. Less. & alii communiter contra Navarrum docent; licet verò, si non haberet eiusmodi intentionem ulterius perveniendi.

Qu. 3. Quid observare Confessarius debeat in numero peccatorum indagando? *Re.* sequentes ei regulas servire possit. Prima. Cavendum, ne cum nausea & tædio Pœnitentis, nu-

merus Peccatorum quærat, si ex dictis Pœnitentis probabiliter & moraliter æstimari possit. Ita Tannerus q. 9. n. 90. & Laym. c. 13. n. 7. apud & cum P. Gobat tr. 7. n. 336. additque Tannerus hunc esse communem sensum Sapientum. Secunda. Minus exactè quærendus est numerus ex illo, qui multa peccata cõfiteatur, quàm qui pauca. Nec valet hæc consequentia: Si proponerem hanc quæstionem Pœnitenti, intelligerem distinctiùs hoc peccatum, ergo teneor illam proponere. Ita Lugo d. 16. n. 590. apud & cum P. Gobat tr. 7. n. 337. Tertia. Si certus aut probabilis numerus haberi non potest, sufficit, si dicatur consuetudo peccandi, & tempus, ac frequentia in die, septimana, mense, vel anno. Ita C. Lugo, Hurt. Fill. & alii apud Busenbaum l. 6. tr. 4. du. 3. Quarta. Rustici homines, qui agresti modo confitentur sine numero ac diligentia, non sunt cogendi repetere confessiones in doctis Parochis factas; cum enim bona fide confiteantur, & uniformem vitæ rationem habeant, ex confessione unius anni facilè de reliquis conjectura fieri potest, modò non evidentè constet, eos uno vel altero anno notabiliter scelestiùs vixisse. Ita Lugo d. 16. l. 14. n. 588. Arriaga d. 34. n. 34. & multi alii apud & cum Dian. p. 3. tr. 5. ref. 89. & p. 5. tr. 13. ref. 84.

CAPUT III.

DE PRUDENTIA CONFESSARIJ.

ET si Prudentiæ virtus ad omnes functiones Sacerdotum eritè perficiendas summè necessaria sit, meritò tamen præ omnibus aliis necessaria creditur ad confessiones audiendas, utpote ex quibus amplissimus fructus sperari potest, si cum debita diligentia ac cautela audiantur; è contrario verò maxima pericula & damna timeri debent, si non eâ, quâ oportet, prudentiâ ac zelo excipiantur. Ut ergo etiam quoad hanc partem Confessarius suæ obligarioni satisfacere possit, diligenter inquirere & nôsse debet, in quibus potissimùm capitibus prudentia ab eo observari debeat, quod non difficile intel-

intelliget, si meminerit, aliqua quoad propriam personam, alia quoad Pœnitentes, alia quoad adstantes, aspicientes, vel absentes documenta à prudentia præscribi, quæ proin distinctis §§. exprimentur.

§. I.

De Prudentia Confessarij quoad propriam Personam.

Circa propriam Personam tria præcepta ipsi à prudentia præscribuntur. Primum est *Accurata præparatio*. Cùm enim confessionum auditio non minùs, imò multò magis difficilis sit, quàm oratio, meritò ad illam quoque dictabit prudentia, solidam præparationem tanquam iudicium necessarium ad fructum obtinendum esse præmittendam, atque ad id illud Ecclesiastici huc transferendum: ante Confessionem præpara animam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Duplex autem est hæc præparatio. Remota scilicet & proxima. Remota consistit 1. in dotibus Confessario necessariis procurandis, de quibus tum in superioribus duobus capitulis fusiùs est actum, tum etiam in hoc ampliùs agetur. 2. In perfecta quadam Idea, seu exemplari proponendo, secundum quod se in confessionibus audiendis dirigat, quale quidem absolutissimum Christus discipulorum pedes lavans nobis reliquit, ut infra fusiùs ostenderetur. Proxima consistit cum in ardente zelo & desiderio, hanc functionem utpote DEO & Cœlitibus gratissimam, & tam Pœnitentibus, quàm Confessario utilissimam, summèque consolatoriam cum magna sinceritate atque perfectione obeundi; tam in purissima intentione, quàm non nisi DEI majorem gloriam, & suam ac Proximam salutem quærat.

Secundum est *solida assicuratio*, cùm enim, teste Servatoris nihil profit homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiat, meritò suadet prudentia, ut certæ cautelæ adhibeantur, quibus seu corporis, seu animæ pericula efficaciter arceantur. Unde & hæc quoque assicuratio duplex erit, corporis scilicet & animæ. Corporis assicuratio requirit, ut imprimis sanitatis cura habeatur, quò diutius quis durare possit. Hinc cavendum 1. ne diu nimis la-

hor iste continetur, nisi Pœnitentium necessitas aliud exigat; & tum expedit interdum ita hunc laborem cum allis functionibus miscere, ut occasio detur assurgendi, sive ad Missam dicendam, sive alio quopiam modo respirandum. 2. Ne, si necessitas corporis interruptionem suadeat, noxiâ cum pertinaciâ ex imprudenti pudore profecta confessionali adhæreat, & sic grave damnum corpori creet; certè experienciâ constat, non paucos per similem pudorem aut indiscretum fervorem rupturam corporis sibi accersisse. 3. Ne os & nares pœnitentium ori directè obvertat, noxiûmque & foetentem halitum in corpus trahat; hinc prudentes Confessarij non manum duntaxat, sed etiam strophium vel cottam inter se & Pœnitentem ponunt, ut neuter halitum in faciem alterius emittere possit, id quod tempore pestis, aut alterius contagiosi morbi præcipuè observandum est.

Asscuratio animi pariter tres industrias requirit, quarum prima est, ut certi hunc in finem Patroni eligantur, qui tam Confessario, quàm Pœnitenti necessaria à DEO auxilia impetrent, ut uterque munere suo ritè fungatur. Tales autem Patroni præ cæteris esse possunt B. V. Sanctus Angelus Custos tum ipsius Confessarij, tum Pœnitentis, SS. Apostoli Petrus & Paulus, S. Maria Magdalena, & præcipuè S. Joannes Baptista, ut cujus officium jam olim erat Præcursorem Christi agere, & per pœnitentiæ prædicationem eidem viam ad corda hominum & peccatorum maximè præparare. Secunda industria est, ut contra tentationes, quæ occurrere solent in confessionibus audiendis, tum generalibus, tum specialibus armis se egregiè muniat. Et generalis armaturæ loco, DEI & SS. Patronorum præsentia præ cæteris servire poterit, quia vix quidquam efficacius reperitur, tum ad varias imperfectiones vitandas, tum ad difficultates occurrentes generosè superandas. Specialia verò arma contra tres præcipuè tentationes præparanda sunt, nempe Sensualitatis, Impatienciæ, & Timiditatis; ad has enim tres species, omnes ferè tentationes, quas Confessarii plerumque pati solent, revocari possunt. Contra primam itaque armari oportet Confessarium purissimâ intentione, quâ nihil aliud quærat, nisi majorem DEI gloriam, animarû salutem, & obedienciæ exercitium; hæc enim intentio faciet, ut & in ipsis Pœnitentibus Christi Personam &

imaginem consideret, atque adeò ad reverentiam potius à sinceram charitatem, quàm ad ullam sensualitatem inclinatur, atque adeò non aliter, quàm is, qui similis Filio DEI tres Pueros Babylonicos in fornace Babylonica à flammis custodivit, ab eadem à tentationibus carnis defendatur. Contra secundam optimum erit remedium DEI & Proximi amor, hic enim faciet, ut & omnes molestias promptè fortiterque suscipiat, ac sustineat, & ut Pœnitentes perinde ac seipsum considerans, pià quâdam erga illos miseratione moveatur, atque adeò Christiana potius mansuetudine, quàm asperâ correctione curare studeat. Quem in finem non parùm proderit, si ex libello de imit. l. 1. c. 16. sapiùs & accuratè perlegat. Contra tertiam optimum erit remedium, si timore DEI timorem humanum velut clavum clavo pelleret, ideòque illud sibi Christi monitum applicet: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & corpus & animam mittere in Gehennam. Aut illud Thomæ Kemp. l. 3. c. 36. Quis es tu, ut timeas à mortali homine? Hodie est, & cras non comparet. DEVM time, & hominum terrores non expavesces. Tertia industria est seria imploratio auxilii divini, tum ante confessionem, tum in ipsa per ardentia vota & suspiria, tum post ipsam petendo veniam errorum admissorum, gratiàmque ad eos deinceps emendandos.

Tertium præceptum à Prudentia præscriptum est *propria Melioratio*, quæ in eo consistit, ut Confessarius novos ex confessionibus auditis concipiat stimulos ad triplicem viam perfectionis alacriùs decurrendam. Et 1. quidem in via purgativa, dum alios sua peccata explicantes audit, eorumque gravitatem ac turpitudinem illis demonstrat, atque ad illa radicitus extirpanda hortatur, meminerit, se ipsidem aut gravioribus vitijs subjectum esse, atque adeò Pœnitentes rectorque in illum omnia illa salutaria monita ac dicere: Medice, cura te ipsum. Secundò in via illuminativa, dum alios tam tenerâ conscientiâ, aliisque virtutibus præditos esse advertit, erubescat ex corde, quòd ipse tot medijs & occasionibus instructus à DEO, tantum tamen profectum non fecerit, nec DEI & felicitatis amore ea præstiterit, quæ alij naturalibus sæpe motivis impulsu sine difficultate magna effecerunt.

runt. Specialiter verò meminerit, quantum solatium capere soleat, si aliquem ex Pœnitentibus, suis consiliis persuasum magna cum alacritate virtutum studium amplecti, & insignem in eo fructum facere advertat; & inde concludat, quanto majorem animi voluptatem ipse sit percepturus, si se ipsum ad similem profectum faciendum induxerit. Tertio in via unitiva, dum advertit, quàm amanter & liberaliter Deus Pœnitentibus peccata dimittat, atque inde occasionem sumit, eos hortandi, ut, quemadmodum illis cum S. Maria Magdalena remissa sunt peccata multa, ita & diligere multùm studeant, hunc ipsum stimulum in se convertat, & sicut magnitudinem remissorum sibi peccatorum, multitudinèmq; longè majorem advertit, ita majoris quoque erga DEVM, Christùmque charitatis exercendæ motivum arripiat.

§. II.

De Prudentia Confessarij circa Pœnitentes exercenda.

Etiã circa hos tria præcepta Prudentia præscribit. Primum est *cauta interrogatio*, quæ in eo potissimùm consistit, ut ea, quæ priori capite circa materiam, modum & tempus examinandi dicta sunt, accuratè observet, ne anxiiis & indiscretis quæstionibus sibi & Pœnitenti gravius hujus Sacramenti administrandi, vel recipiendi onus imprudenter efficiat.

Secundum est *solida instructio*, quæ in tribus præcipuè sita est. 1. In dubiis solvendis, ubi vel maximè prudentia suadet, ut dubium bene intelligere studeat; ut non præcipitanter respondeat, sed, nisi certus sit de veritate responsi, tempus pro consideratione (si quidem circumstantiæ id patiantur) petat; nec sibi fidat nimium, sed alios etiam, quantum salvo secreto & sigillo fieri potest, consulat: non plus certitudinis suæ doctrinæ, quàm à parte rei ea mereatur, attribuat: nec faciliè aut promiscuè scripto dubia talia resolvat. 2. In consiliis dandis, in quibus prudentia dicitur, ut ante omnia juvet Pœnitentes in statu, si nondum id fecerint, eligendo: ut ad celerem vocationis executionem discretè urgeat, atque in impedi-

mentis fortiter removendis auxilietur: & tandem, ut modum solidum ostendat, quo quisque se in suo statu magis in dies perficiat, & majorem cælestium gaudiorum, gratiarumque cumulum procuret; huc enim omnia prudentis Confessarii consilia collimare oportet.

Tertium est *discreta correctio*, quæ pariter in tribus præcipuè capitibus consistit. 1. In pænitentia salutaris prudenti præscriptione, ut nimirum ad quantitatem peccatorum, & virium Pænitentis ante omnia respectus habeatur. 2. In mediis, quibus à lapsu ulteriori Pænitens præservetur, charitativa suggestione, ubi præcipuè suadet prudentia, ut ante omnia radix peccatorum inquiratur, atque ad eam extirpandam universa media dirigantur. 3. In voluntate ad dicta media apprehendenda zelosa excitatione, quod potissimum fiet, si foeditas & damna peccatorum ex una parte, ex altera verò virtutum dignitas & commoda clarè solidèque demonstrantur, & illorum quidem fatale odium, harum verò insignis æstimatio & desiderium animis ingeretur; quorum omnium praxis ex ijs, quæ toto capite secundo fusiùs dicta sunt, haud difficulter addiscetur.

§. III.

De Prudentia Confessarii circa alias Personas.

Intellige distinctas ab ipso Confessario, & Pænitentibus, quæ ad tres classes revocari possunt.

Prima classis est aliorum Confessariorum, qui vel in eodem templo & loco, aut certè in aliis confessiones pariter excipiunt, circa quos tria documenta servanda suggerit prudentia. Primum est, *uniformitas in modo procedendi*, ubi quisvis Confessarius applicare sibi deberet saluberrimam illam regulam, quam Societas Jesu suis Confessariis in hæc verba præscribit: Modum ea Sacramenta ministrandi, quæ Sacerdotes nostræ Societatis tractare solent, perspectum omnes habeant, in eoque uniformes sint, quantum Regionum varietas patietur; formam tamen & rationem absolvendi ab excommunicatione, & aliis censuris & peccatis eandem omnes sequantur, attendantque, ne ex modo utendi facultatibus Societatis, Ordinarii & Parochi jure offendi possint. Secundum est *charitas*

tas in mutua honoratione; quam iterum Societas Jesu suis Confessariis per hanc notatu dignissimam regulam commendat: Confessarij inter se ipsos, & in modo procedendi cum Pœnitentibus conformes esse curent, & quantum res tulerit, ita aliorum Confessariorum existimationi unusquisque consulat, ut omnes intelligant, mutuo charitatis vinculo Societatis Confessarios in Christo esse colligatos. Quam totam regulam sibi quoque latam omnes ejusdem Diœcesis aut Capituli Sacerdotes judicare deberent. Tertium est *Communicatio liberalis laborum & fructuum*, quæ requirit, ut, si quis alterum Confessarium copiosos fructus referre ex sua segete advertit, non in videat, sed potius ex animo gratuletur, dicatque cum S. Davide: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua: item ut, si quis uni confiteri solitus, ab eodem alium Confessarium adeundi facultatem petierit, vel eâ non petita adierit, id sibi gratum esse benigne ostendat: ut interdum ultrò alios in societatem laborum invitet, vel Pœnitentes ad ipsum dirigat.

Secunda classis est adstantium, vel etiam aspicientium ex remoto loco Confessarium; circa quos prudentia dicat sequentia monita. 1. Ut non clarè nimis loquatur, ne adstantes contra voluntatem nonnunquam peccata audire cogantur, & quod pronissimum est, ipsimet postea à confessione tali Sacerdoti facienda absterreantur. 2. Ut neque gestibus manuum aut pedum signa varia prodat, ex quibus ij, qui ea visuri essent, in cognitionem cujusdam peccati venire, aut certè displicentiæ, offensionisve occasionem arripere possent. 3. Ut, si multos adesse advertat, qui confiteri velint, citò se expediat, atque adeò ab omnibus non necessariis quæstionibus, instructionibus, adhortationibus absteat, imò etiam in orationibus pro absolutione dici solitis, solam illam, quæ essentialia verba absolutionis continet, recitet, vel si nimius sit accursus, omnino illa tantum verba: Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris &c. pronuntiet, uti Diana & Busenbaum suadent.

Tertia classis est absentium, circa quos etiam tria monita suggerit prudentia. 1. Ut, nisi evidens necessitas aut utilitas aliud suadeat, non facilè de eorum moribus aut factis loquatur; multò minùs verò (si id officium non exigat) omnino in

no in eosdem inquirat, aut temerariè de illis iudicium ferat.
 2. Ut, ubi varias de ipsis querelas audierit, eas non statim credat, sed vel excuset, vel certè ab iis tanquam ad se non pertinentibus iudicium suspendat. 3. Ut, si quos occultas vel àpertas cum suis Pœnitentibus inimicitias portare adverterit, omnem industriam adhibeat, ut iterum inter se concilientur, mediâque stabiliendæ concordix ab eo præscripta sedulo & constanter usurpent.

§. IV.

Quomodo supradictæ doctrinæ in praxi
 sint redigendæ?

Dictum est suprâ inter alia capita, quæ ad præparationem remotam requiruntur, etiam Ideam esse, quam quisque in confessionibus audiendis ob oculos sibi ponat, & totis viribus imitari studeat, pro hac autem commodissimè servare posse exemplum Christi pedes discipulorum lavantis. Ut ergo hanc Ideam Confessarius usurpare sciat, simulque compendium supradictarum doctrinarum habeat, breviter ostendere oportet, quid in dicta Idea potissimum considerandum, & imitatione exprimendum videatur.

I. Itaque sicut Christus antè, quàm lotionem pedum inciperet, aquam & omnia necessaria præparari iussit, ita & Confessarius operam dare debet, ut, quidquid ad confessiones legitimè audiendas requiritur, puta scientiam, jurisdictionem, virtutem, ritè præparata habeat.

II. Sicut Christus ante lotionem linteo mundo se cinxit, ita Confessarius priùs, quàm ad confessiones audiendas se conferat, mundâ conscientiam, firmissimòque castitatis servandæ proposito accinctus sit, oportet.

III. Sicut Christus ante eandem lotionem genua flexit, ita Confessarius idem faciat, & per ardentem orationem sibi ac Pœnitentibus copiosam à DEO gratiam pro hoc tam arduo opere petat.

IV. Sicut Christus magna cum humilitate, patientiâ, & charitate omnibus suis discipulis pedes lavit, ita & ipse actua- lem peccatorum auditionem, velut sordium ablutionem cum similibus virtutibus aggrediatur.

V. Sicut Christus ab ablatis pedibus linteo aquam abster-
 sit, ita

fit, ita Sacerdos peccata audita per absolutionem Sacramentalem abstergat, & ne deinceps iterum eisdem sordidos per peccata efficiant, suaviter simul & efficaciter hortetur.

VI. Sicut Christus nullum inter discipulos discrimen fecit, sed Judæ tam bene ac Petro & Joanni pedes lavit; ita Confessarius quoque omnes Pœnitentes æquali charitate ac benevolentia complectatur, atque ad confessionem faciendam promiscuè admittat.

VII. Sicut Christus post lotionem cibo salutari eos refecit; ita Confessarius quoque post explicata peccata cibo salutari doctrinæ Pœnitentes reficere, & utili adhortatione recreatos dimittere studeat.

§. V.

Quid Confessario post confessiones auditas faciendum sit?

I. Agat DEO gratias pro collato sibi & Pœnitentibus auxilio ad hoc Sacramentum ritè administrandum vel suscipiendum, novaque sibi & illis auxilia emendicet ad faciliorem propositorum executionem.

II. Exerceat varios actus humilitatis, credens se longè magis ingratum esse omnibus suis Pœnitentibus ob majus lumen, uberiora auxilia, plura & efficaciora præsidia, quibus tam segniter cooperatur.

III. Reflecat se, & examinet, num quid omiserit, vel neglexerit ad munus suum pertinens. Quod si errasse se deprehendat, doleat, proponatque, prout necessarium videbitur, seriam emendationem; si nihil occurrat, divinæ bonitati gratias agat.

IV. Conetur oblivisci omnium auditorum in confessione, & surda aure recurrentes species, molestèque allatantes pertransilire.

V. Secreti sit tenacissimus, ita, ut neque in genere quidem de auditis in confessione unquam loquatur, nisi cum summa circumspeditione. Ad hoc proderit sæpius illa sigilla (seu titulos, quibus ad secretum servandum obligatur) perpendere, nempe sigillum seu ritulum præcepti naturalis, præcepti divini, præcepti Ecclesiastici, justitiæ, religionis, charitatis, fidelitatis; his enim sigillis omnia peccata in confessione audita claudi & obsignari oportet.

P A R S

P A R S P O S T E R I O R
Complectens
V A R I A S D O C T R I N A S,
Q V Æ
A Confessariis in confessionibus par-
ticularium Personarum observan-
dæ sunt.

ETs i ex iis, quæ hactenus fusiùs sunt dicta, sufficientem Confessarius habere directionem possit, ad confessiones magno suo ac Pœnitentium fructu atque solatio audiendas; quia tamen quotidiana experientia testatur, nunquam firmiter doctrinas aliquas memoriæ, mentiq; imprimis aut etiam utiliùs in praxin deduci, quàm si in certum ordinem, variâsque classes redigantur, & earundem usus in practicis exemplis demonstretur, ideo & ego operæ pretium me facturum judicavi, si, quomodo doctrinæ hactenus assignatæ in praxi pro variarum Personarum Confessionibus adhiberi debeant, variis exemplis ostendero. Itaque imprimis ipsos Pœnitentes in varias classes dividam; subinde, quæ circa quamvis classem quæstiones aut dubia magis notabilia moveri possint, indicabo, & suum cuique responsum subjungam. Quod antè, quàm præstem, duo Lectorem præmonendum cenlui. Primum est, non nescire me, aut negare velle, quòd plures classes Pœnitentium assignari potuissent, sed has me præ aliis elegisse, quod & sufficere easdem ad scopum meum judicarem, & plerasque difficultates, quæ in aliis confessionibus occurrere possunt, ex illis, quæ circa has dicentur, facilè decidi posse existimarem. Alterum est, quòd licet aliqua materiæ vel quæstiones pluribus classibus communes sint, nihilominus ad certam aliquam sint revocate, quia, cum in omnibus poni non potuerint, ad eam, in qua frequentius occurrunt, convenientius revocari credebantur.

CAPUT

CAPUT I.

QVID CIRCA CONFESIONEM PVERORUM ET PVELLARVM OBSERVANDVM SIT.

Q. 1. Quid circa has Confessiones specialiter observandum sit? R. cum ex una parte frequens hujus Sacramenti usus valde utilis, atque adeo & suadendus sit homini Christiano; ex altera verò parte experientia doceat, illam æstimationem & affectum, quem Homines in tenera Juventute de hoc Sacramento conceperunt, ab iisdem etiam in reliqua ætate retineri, valde laborandum esse, ut Confessarius magnam de dicto Sacramento æstimationem & amorem Pueritæ ingeneret; sed & modum fructuosè illud obeundi doceat; & ab omnibus, quæ aversionem ab hoc Sacramento creare possent, studiosè absteat. Hinc cum ejusmodi Pueri aut Puellæ ad confessionem accedunt, diligenter attendat, an ante confessionem oraverint: an, dum confessionale intrant, crucem faciant, genua flectant, benedictionem petant, brevem confessionis generalis formulam pronuntient &c. Quòd si in horum aliquo capite deficere eos advertat, quoad crucem quidem faciendam, genuaque flectenda, suavibus verbis eos ad hæc præstanda hortetur; si verò aut preces, aut formulam Confessionis omittant, cum intra confessionem tam facile doceri non possint, finita confessione suaviter eos moneat, ut eas deinceps addiscere studeant, & antè, quàm ad confessionem accedant priùs pro remissione peccatorum suorum gratiaque ad confessionem titè faciendam impetranda pias, humilèsq; Domino DEO preces, quales plerumque in fine Catechismi germanici reperiuntur, offerre assuescant.

Qu. 2. An examinandi sint ejusmodi Pueri & Puella? R. 1. cum juxta communiorem sententiam Confessarius obligetur ad juvandum Pœnitentem, si ipse non sit sufficiens ad peccata sua legitimè explicanda; de ejusmodi autem Pueris aut Puellis meritò præsumi possit talis insufficientia, rectè facturum Confessarium, si modo paulò post assignando eos examinet. R. 2. hoc tamen examen non priùs esse suscipiendum, quam ipsi

ipsi ea peccata, quæ sciverint, explicare jubeantur, & sistantur; sic enim paulatim asuescent, ipsimet sua peccata explicare, & alia facere, quæ Pœnitentis officium requirit.

Q. 3. Quomodo, & de quibus rebus examinandi sint? R. 1. ante omnia Confessarium quærere debere, an aliquando confessi sint, & quando? R. 2. Post hanc quæstionem factam interrogandi erunt, quid ab ultima confessione peccarint? quâ interrogatione peractâ, si ipsimet peccata sua narrare incipiant, patienter audiendi erunt, nec faciliè interpellandi. Si verò vel nullum peccatum ipsi explicare nörint, vel certè non nisi unum, alterumve, tum Confessarius aliquot ex sequentibus quæstionibus formare poterit. 1. An diligenter difesto audiverint Sacrum, & sub eo oraverint, an verò garriverint, circumspexerint &c. 2. An manè & noctu, ante & post mensam, vel scholam, ad signum Salutationis Angelicæ diligenter oraverint? 3. An Parentibus obedientes existerint? 4. An non alicui turpia agnomina dederint? 5. An non rixati fuerint cum æqualibus? 6. An non senioribus hominibus illuserint? 7. An non mentiti sint? 8. An nemini quidquam subtraxerint? 9. An domi, & in schola diligentes ac modesti fuerint? 10. An diligenter interfuerint Catechismo, & ibidem sedulò attenderint? hæc, inquam, & similia ex illis quæri possunt, non quòd omnia verè peccata sint, sed ut ex talibus interrogationibus paulatim discant, quid agere vel vitare ipsos in hoc statu conveniat. Et quia ad ejusmodi quæstiones frequenter negativè respondebunt, ideo Confessarius quandoq; approbabit conatum in vitio fugiendi, aut sedulitatem in orationibus, studiis &c. peragendis; sic enim non parùm excitabuntur ad constantiam in iustis exercitiis, & præterea etiam animabuntur, ut libentius præterea Sacramentum frequentent. R. 3. Modum interrogandi valdè suavem & prudentem esse debere; suavem quædem, ne, si rigidiorum advertant esse Confessarium, à peccatis suis ritè ac liberè explicandis absterreantur, & ab ipso etiam Confessionis Sacramento noxiam aversionem concipiunt: prudentem verò tum in eorum erroribus aut defectibus, quales plurimi plerumque ab hac imprudente Pœnitentia committi solent, dissimulandis, aut, ubi opus videbitur, dextè corrigendis: tum in ipsis quæstionibus formandis, ne, scilicet

dum nimis accuratus esse voluerit, doceat illos aliquid, quod nesciebant; sicque occasionem lapsus præbeat. Unde, si ulli-
bi, in his confessionibus ob oculos haberi debet doctrina Co-
ninckij supra citata, quod scilicet præster aliquando, Con-
fessarium peccata Pœnitentis minùs cognoscere, quàm sibi vel
illi scandalum creare.

Qu. 4. *An eiusmodi Pueri & Puella etiam de numero inter-
rogandi sint?* R. per se plerumque non esse interrogandos,
tum quia peccata mortalia non afferunt; tum quia vix eum-
cum utilitate explicare possunt; interdum tamen, si peccatum
aliquod veniale ex gravioribus afferant v.g. furtum, menda-
cium, blasphemiam &c. expedit saltem quærere, an frequen-
ter id contigerit, ut hac ratione paulatim addiscant, in pecca-
tis gravioribus numerum esse explicandum.

Qu. 5. *An sint quærendi de rebus ad fidem pertinentibus, quas
quævis Christianus necessitate mediæ aut præcepti scire tenetur?*

R. 1. quod attinet ad illos articulos, quos necessitate mediæ
scire tenentur, plerumque supponere posse Confessarium, eos
sciri ab iis, qui annos discretionis attigerunt, & usum suffi-
cientem rationis ad absolutionem habere judicantur, cum
nullus facilè ex his futurus sit, qui non credat DEUM esse,
etiamque Justis quidem cælum in præmium, Peccatoribus ve-
ro infernum in pœnam præparasse. R. 2. quod attinet ad
illos articulos, quos necessitate præcepti scire debent, Confes-
sarium per se nullo speciali præcepto magis obligatum vide-
ri ad suos Pœnitentes instruendos, quàm qui vis alius obliga-
tur præcepto charitatis. Cum in confessionali Judicis tan-
tum, Medicique, ac Doctoris in iis rebus, quæ ad peccata &
obligationes inde secutas pertinent, fungatur, nullo jure verò
ipse cogatur Pœnitentem juvare, ut satisfaciat suæ obligatio-
ni, ut patet in restitutione, & aliis similibus casibus. Accedit,
quod ejusmodi Pœnitentes prudenter supponi possint habere
Parochos, Catechistas, Ludimagistros, Parentes, quibus
instructio primariò incumbit. R. 3. si major sit Populi
concurfus, omnino posse & debere instructiones omitti, & aliud
tempus magis commodum iis præscribi; imò si nondum sci-
ent necessaria ad confessionem, poterunt dimitti absque ab-
solutione, moniti tamen, ut alio tempore veniant. Si tamen
ad confessionem apti viderentur, & quærerent, num commu-
nicare

Instr. V.

H

nicare

nicare liceret? posset eos breviter examinare, nūm sciant, quæ ad illud Sacramentum suscipiendum requiruntur, & nesciunt, breviter illos instruere, si alioqui ob ætatis & intellectus sufficientiam capaces videantur. Resp. 4. si tempus Confessario suppetat, insigne charitatis opus facturum, si ejusmodi Pueros & Puellas de prioribus capitibus interroget, & quantum fieri potest, instruat, v.g. quot sint Dij? quis sit pater, & quare? quæ sit Mater Christi &c. quæ omnia firmius imprimendi memoriæ eorum, optimum modum putat Reginaldus, si jubeantur crucem formare, & doceantur Mystra in cruce contenta, & per ipsum modum formandæ crucis indicata.

Qu. 6. An si dubitetur, num sufficienti usu rationis præditi, debeat absolutio sub conditione impendi? Resp. affirmativè cum communi sententia, ut videre est apud Bardi dis. c. 11 §. 9. n. 4. Laym. l. 5. tr. 6. c. 5. n. 7. Diana p. 4. tr. 3. resol. 53. & alios, quidquid in contrarium dicat de Pueris septennibus Caramuel l. 3. c. 1. d. 2. coroll. 40. Ratio est, quia in tali casu est dubium de dispositione Pœnitentis, & consequenter etiam materia hujus Sacramenti dubia est.

Qu. 7. Ex quibus indiciis colligi possit, quod Puer aut Puella sufficienti usu rationis præditi sint? Resp. 1. ex ipso modo confitendi? si nempe sua peccata satis distinctè explicent, merito creditur, eos sufficientem usum rationis habere; secus vero, si nihil per se dicere possint aut velint, aut cerè non nisi formulas quasdam à parentibus haustas recitent. Resp. 2. ex ipso modo respondendi; si nempe omnes aut plerasque Confessarii quæstiones bene percipiant, aptèque ad eas respondeant, eorum prudenter persuadere sibi potest Confessarius, eos non carere usu rationis: secus si ad omnia affirmativè, uti nunquam fieri solet, respondeant, etsi Confessarius paulò præformaverit quæstionem contradictoriè uni ex prioribus positam. Resp. 3. ex modo agendi, quem usurpant tempore confessionis; si enim in clathris nudentur, aut sæpe oculos ad ea, quæ extra confessionale aguntur, convertant, aut imaginem in confessionali appensam contemplantur, sat magna indicia præbent imperfectæ rationis. Unde nisi aliunde certiora indicia hauriantur, vel sub conditione, vel omnino non absolvendi erunt.

Qu. 8. *An ad attritionem disponendi sint eiusmodi Pueri & Puella, & quomodo?* Resp. 1. omnino id necessarium videri, cum experientia doceat, eos nihil minus, quam de tali dolore cogitare, imò sæpe non nôsse, quid sit dolor, aut quid ad confessionem requiratur. Resp. 2. modum excitandi eos ad attritionem optimū videri, si non simpliciter & nudè quærantur, an doleant de peccatis? sed si v.g. quærantur, quot sint Diji an diligant Dominum DEUM? & tunc subijciatur, an ideo doleant se peccasse, quod tam dilectum Patrem offenderint? item si quærantur interdum, quò veniant probi & innocentes, & quò mali? & postea subijciatur, an & ipsi statuunt deinceps vitare peccata, ut veniant in cælum, & non in infernum &c. nam in tali proposito jam vera attritio inclusa est, cum nullus statuatur vitare peccatum, qui non odit illud.

Qu. 9. *Qualis & quanta pœnitentia iis imponenda sit?* Resp. 1. non facile pœnitentiam per aliquot dies persolvendam imponi debere, cum vix sperari possit, eos recordatos, aut certè sufficientem ejus persolvendæ curam habituros esse; præstat ergo modicam illis pœnitentiam imponere, quam post confessionem finitam statim peragere jubeantur; sic enim & securior erit Confessarius de pœnitentiæ impletione, & ipsi assuescent post confessionem non statim templo excurrere, sed aliquod tempus orationi impendere. Resp. 2. si indulgentiæ aliqua eo die in templo illo vel alio sunt propositæ, optimè facturum Confessarium, si eas preces, quæ pro indulgentiis lucrands requiruntur, illis pro pœnitentia imponat; non tamen necesse erit multum laborare in intentione hac iis incalcanda, cum vix eam capturi sint, & aliunde juxta probabiliorem sententiam non requiratur intentio lucrandi ad hoc, ut quis eas obtineat. Resp. 3. nonnunquam posse illis imponi pro pœnitentia, ut in magno aliquo festo denuò confiteantur aut communicent, sic enim paulatim frequentationi Sacramentorum assuescent.

Qu. 10. *An & qualis adhortatio absolutioni sit præmittenda in eiusmodi confessionibus?* Resp. 1. plerumque nullam severiorem increpationem adhibendam esse, cum ex ea horrorem concipiant hujus Sacramenti, quem semel altiùs imbibitum, nec in adulta etiam ætate facile deponent. Quòd si nonnunquam à vitio, à quo in futuram ætatem grandia incommoda

timeri possunt, dehortari velit, aptissimè id præstabit brevis
 exemplo v. g. quinquennis adolescentis ob blasphemias et
 finu Patris à Dæmone ad inferos abstracti, aut alio simili
 R. 2. ut magnam de oratione, studio, obedientia, reverentia
 & modestia opinionem concipiant, proderit nonnunquam
 unum ex his capitibus commendare, ostenderèque, quantum
 laudem, præmium, amorem apud Parentes, Magistros, Co-
 gnatos, DEUM reportaturi sint, si ei studio se sedulo impo-
 dant; unde memoriæ juvandæ causâ possent ipsis quinque pri-
 maria virtutes eorum statui convenientes per quinque digi-
 tos designari, videlicet per pollicem devotio, per indicem
 obedientia, per medium digitum reverentia erga adultos &
 senes, per annularem diligentia, per parvum digitum mo-
 destia.

Qu. II. An si Puer aut Puella rationis capax in articulo
 mortis constituta sit, Confessarius precipere debeat, ut Communio
 illis detur, etsi vix septimum aut octavum annum egressi sint?
 R. Spectando quidem præceptum Ecclesiæ, non esse Com-
 munionem necessariam in tali casu, cum Vasq. Valent. Gran-
 Sotus, Ochag. doceant apud Dian. p. 5. tr. 14. resol. 50. no-
 minem ante duodecimum annum obligari ad Communio-
 nem. R. tamen 2. si consuetudo in contrarium non obstet
 & spes sit, posse Puellum & Puellam sufficienter disponi ad
 Communionem, fortè non obfuturum, si ad eam admittantur,
 cum ex una parte Suar. Tambur. & alij apud eum Dia-
 na loco cit. putent, ad eam in tali casu Pueros ex præcepto ob-
 ligari; ex altera verò parte hoc ipso, quòd rationis & peccati
 mortalis sint capaces, etiam indigeant effectu illo, & robore
 propter quem potissimum in illo agone Sacramentum hoc
 per modum viatici accipitur.

CAPUT II.

QUID CIRCA CONFESIONEM ADOLESCENTUM OBSERVANDUM SIT?

Q. I. An examinandi sint? R. plerumque non esse exami-
 nandos, nisi fortè adverteret Confessarius, aliquos habere
 bete adeò intellectu præditos esse, aut aliud impedimentum ha-
 bere, quò minus peccata sua cognoscere & explicare possint.

enim examinari possent. 1. An suo tempore diligenter & attentè oraverint? 2. An obedientes fuerint Parentibus & Præceptoribus? 3. An debitam in studiis diligentiam adhibuerint? 4. An non tempus otiosè & nugis inutiliter consumperint? 5. An non inhonestis agnominibus alios læserint? 6. An non mentiti sint? 7. An non rixati &c.

Qu. 2. An saltem de numero, aliisque circumstantiis, maxime speciem mutantibus interrogandi sint? R. omnino consultum id videri, ut hac ratione discant peccata sua ritè Confessario explicare. Itaque si confiteantur, se blasphemâsse, jurâsse &c, interroget, quoties id fecerint? si dicant, se aliis detraxisse, quærat, num in materia gravi id contigerit? si dicant, se habuisse impudicas cogitationes, interroget, num deliberatè ipsi inhæserint, aut omnino decreverint desideria sua complere, si occasio daretur &c. imò nonnunquam prodesset, ut Confessarius ipsos specialiter instrueret, monerétque, ut hoc vel illud peccatum deinceps hoc modo confiteantur, & numeram, cujus recordari possunt, addant.

Qu. 3. An, quando, & quomodo ad eligendum statum, maxime Religiosum à Confessario adiuvandi sint? R. 1. ante majorem Syntaxin non facilè ullum ex istis ad electionem esse admittendum, sed si quis desiderium Religionis ostendat, interea confortandum in bono proposito, monendumque, ut à DEO quoq; eandem confirmationem sedulò per preces petat. R. 2. si quis in majori Syntaxi, vel humanitate maturior, atque huic negotio aptior videbitur, poterit ei in primis per occasionem sive intra, sive extra confessionem ostendi, quantum momenti positum sit in hac electione statûs; subinde monendus erit, ut pro hoc negotio certum quendam Patronum eligat, & SS. Communionem frequenter obeat, ac post eam, ubi cum S. Paulo dixerit, *Domine, quid me vis favore?* audiat, quid loquatur ei in corde Dominus. Tandem aptus quidam electionis istius peragenda modus ex libellis passim obvijs, eumque in finem impressis, v.g. Thesauro precum, Manuali Sodalitatis, & alijs ejusmodi, præsertim ex libello, cujus titulus est: *Methodus practica certi vitæ status delegendi*. Dilingæ. 1676. recuso ostendendus, diligentèrque varijs medijs & consilijs præmuniendus est, ne ulli Dæmonis fraudi pateat locus. R. 3. non minorem Confessario cu-

ram adhibendam esse, ut eos, qui elegisse statum legitime videntur, ad vocationem suam executioni mandandam iuvet, quam in ipsa electione direxerit. Itaque 1. & ante omnia studeat, ut scopum statui illi, quem elegerunt, proprium bene agnoscant. Subinde ut vitia, si quæ contraxerunt, confutedinésque illi statui valde contrarias, maturè eruere studeant; uti è contrario virtutes eidem magis convenientes compare: tandem ut difficultates, quæ occurrere in statu electo plerumque solent, maturè prævideant, atque ad eas generose sperandas salutaribus remediis, armisque animum committant.

Qu. 4. *An conducatur eiusmodi adolescentibus suadere, ut votum castitatis ad tempus faciant?* R. valde cautum & prudentem hac in re Confessarium esse debere. 1. Itaque non omnibus promiscuè id suadeat, sed iis tantum, quos maturiores esse novit, periculòque voti frangendi minùs obnoxios; hæc enim duo, si absint, damnum potius, quàm commodum ex tali voto reportabitur. Deinde non permittat ab initio, ut ad longiusculum tempus votum emittant, sed ad aliquot tantum dies, cum sic ex una parte minori periculo violationis sint obnoxii; ex altera verò semper, si constantes & firmi sibi contra vitium castitati oppositum videantur, votum suum renovare possint; imò novum semper solatium & augmentum amoris erga hanc virtutem ex frequentiori hac renovatione percepturi videantur.

Qu. 5. *An si talis Adolescens inconsulto Patre spiritali votum castitatis non quidem perpetuum emisisset, sed tamen ad longius tempus, quàm ei expediret, Confessarius id irritare possit?* R. si Adolescens talis pubertatis annos necdum sit ingressus? Resp. non posse, cum non sit propriè dictus illius Superior, potest tamen, si ita expediens videatur, ei suadere, ut Patri hoc votum significet, ab eoque irritationem petat; quòd si hoc nolit facere propter justas causas, ipse Confessarius vel dispenset, vel commutet illud.

Qu. 6. *An eiusmodi Adolescentes ad attritionem excitandi sint?* Resp. cum ordinariè à Magistris suis bene in hac materia instruantur, & etiam plerumque ante confessionale aliquandiu flectant, variásque preces passim in libellis ad hunc finem impressas recitent, meritò etiam Confessarium non magno

per follicitum esse debere de attritione procuranda. Quòd si tamen aliquos magis hebetes, aut parùm instructos adverteret, securiori via incedere, eosque ad attritionem breviter disponere posset.

Qu. 7. *Qualis penitentia talibus Penitentibus sit imponenda?* Resp. in his imponendis præclare acturum Confessarium, si studeat tales imponere, quæ conducant ad bonam consuetudinem talibus adolescentibus ingenerandam. Itaq; si constanter ei confiteantur, pro occasione quæret, an & quid mane aut noctu orare? quid sub Missa? quid ante & post studia soleant? quòd si deprehenderit aliquem passim negligere preces Sodalitatis, expediet ei imponere pro penitentia, ut quotidie eas preces tam matutinas, quam vespertinas per octiduum v.g. aut diutiùs, si peccatorum multitudo id exigat, recitet. Alteri, quem Missæ parùm religiosè interesse advertit, imponat, ut sub Missa quotidie per certum tempus certas preces recitet; alij, ut Stationes per aliquot dies lucrari in templo nostro conetur, si fieri id commodè possit, uti potest in multis locis. Quòd si verò certæ quodam die Indulgentiæ sint propositæ, poterit eas ipsas preces pro penitentia imponere, ut hac ratione peccatum quoad culpam & pœnam deleatur.

Qu. 8. *An, & qualis adhortatio post peccatorum explanationem sit facienda?* Resp. ordinariè nullam (saltem longiorè) adhibendam videri, nisi fortè graviori alicui vitio, aut consuetudini Pœnitens subjaceret, tum enim breviter illius peccati gravitas aut turpitude ostendi, aut unum, alterumve motivum aut modum suggeri poterit.

CAPUT III.

QUID CIRCA CONFESIONEM IUVENUM OBSERVANDUM.

Q. 1. *AN sint de numero, circumstantiisque speciem mutantibus interrogandi?* Resp. ordinariè non videri interrogandos, maximè de circumstantiis, cum prudenter supponi possint illas scire, atque adeò addituri fuisse, si peccatum aliquam annexam haberet; secus se res habet cum numero, quem si in peccatis manifestè mortalibus tam confusè expriment,

mant, ut Confessarius nihil inde de numero distinctè colligere possit, v.g. si dicant, se aliquoties fornicatos esse, se inebriasse &c. cum enim omnino interrogandi sunt, & monendo, ut distinctiùs numerum explacent.

Qu. 2. *Cùm eiusmodi Iuvenes frequenter vitio mollitiei sint subiecti, quòd remedium sit illis præscribendum pro eiusmodi vitio extirpando?* R. 1. ab expertis Confessariis non ceteri efficacius remedium, quàm frequentem confessionem, quæ fiat eidem Confessario, uti & Communionem crebam. Resp. 2. præter hoc etiam valdè efficax ceteri remedium, si moneantur, ut certis diebus ad honorem B. Virginis, aut Passionis Christi ab eo vitio abstinere statuant, hocque suum propositum etiam voto facto confirmet. Hoc enim remedio S. Bernardus gravissimum peccatorem à pessima consuetudine abduxit. Resp. 3. alio tempore pro pænitentia etiam imponi posse, aut certè per modum consilij suaderi, recitatione quotidianam Officij B. V. de Immaculata Conceptione, aut alias similes preces. Resp. 4. nonnunquam expediens fore, ut demonstretur gravitas hujus peccati & periculi ex eo imminentis; certè Toletus ait, esse omnium peccatorum emendata difficillimum, quia coram semper est & in promptu peccati hujus materia & occasio; tam autem esse universale, ut nulla alia ex causa arbitretur plures ad inferos devolui. Cantipratanus fœcem omnium peccatorum appellat hoc vitium. Joannes Benedicti ait, nullum, qui 33. annos in habitu hujus vitij vixerit, ad frugem redire posse, nisi extraordinariâ DEI gratiâ præveniatur. Ad majorem terrorem poterit exemplum de illo Juvene Canonico afferri, qui in juventute à Magistro quodam suo hoc vitium doctus, quondam post cœnam cum Consanguineis sumptam in lectum concessit, paulò post horrendum clamare, & auxilium implorare incipiens, cum ad confessionem à vocato Decano, & aliis Canonicis excitaretur, terribilibus oculis Decanum aspexit, dixitque: *væ illi, qui seduxit me! ad quid super me divinum adjutorium in vocabo? Ecce jam video patulum infernum, præsentés Dæmones, & ad rapiendum me avidè inhiantes.* Tum clausis oculis faciem avertit, & cum diris clamoribus animam exhalavit.

Qu. 3. *Quales pænitentia eiusmodi Iuvenibus sint imponenda?* Resp. si gravioribus peccatis luxuriæ sint obnoxij, præter

remedia supra assignata, posse illis etiam imponi v. g. jejunium sabbathinum, lectionem quotidianam alicujus libri spiritualis v. g. Nicetæ, aut alterius in simili genere conscripti, quem ex Congregatione petere possunt, examen quotidianum per unam, alteramve hebdomadam &c. si aliis vitiis, maxime verò negligentiam in rebus spiritualibus, aut studiis subjecti sint, utile foret imponi quotidianam Missæ auditionem, recitationem precum Congregationis, studium quotidianum per unam, alteramve horam.

Qu. 4. *An adhortatio aliqua in sine talis confessionis sit ad-
iungenda?* R. ex instituto quidem ordinariè non videri instituentiam, in ipsa tamen pœnitentiæ impositione, posse nonnunquam insinuari unum, alterumve motivum, quod aptum videatur ad Pœnitentis correctionem procurandam, si v. g. studioso mollitiæ assuetudine dicat. Mi Domine, quandoquidem novit consuetudinem pollutionis, cui hactenus subjectus fuit, esse non modò DEO summè exosam, sed etiam salutem animæ maxime periculosam, ideo Dominus ad gravissimum hoc malum à se avertendum utatur medio, quod Doctores præcæteris esse efficacem judicant ad hunc finem, adeoque pro sua salutari pœnitentiâ post tres, aut quatuor hebdomades iterum confiteatur, & communicet. Sed & deinceps, quod tamen consilij tantum gratiâ dictum volo, sæpiùs hanc confessionem, & quidem apud stabilem Confessarium repetat, ego interea etiam pro Domini salute DEUM sedulò deprecabor, atque abundantem gratiam & seriam hujus vitij expugnationem impetrare conabor, quam ipsam ut & Dominus à DEO & B. V. læpiùs petat, etiam atque etiam hortor. Aliàs dicat: Dominus pro sua salutari pœnitentiâ dicat quotidie has vel illas preces per sequentes duas, tresve hebdomades ad impetrandam à DEO gratiam, quâ gravissimum mollitiæ vitium efficaciter aliquando detestari & fugere possit &c. Aut dicat: Dominus pro sua pœnitentiâ hoc octiduo audiat Missam quotidie ad donum castitatis, quod Studiosis tam necessarium, Deoque tam gratum est, per merita Christi & B. V. impetrandum.

Qu. 5. *An, & quomodo ad electionem statûs adhortandi & servandi sint eius modi Juvenes?* R. I. imprimis aliquot confessionibus Confessarium nihil dicere debere de hac electione

(nisi ipsi ultrò de hac loqui inciperent) sed tantùm attendere, an non ex hac ipsa confessione eorum propositum colligere possit. Resp. 2. si vel ex circumstantiis, vel aliorum relations, vel ipso etiam studio, cui se impendunt, probabiliter colligat, eos jam ad certum statum determinatos esse, non debet illi directè suadere novam electionem, aut examen præcedentis electionis, sed potius pro occasione data prudenter indagare, an maturâ & prudenti deliberatione eum statum elegerint, difficultatésq; in eo occurrentes bene perpenderit &c. Quod si factum esse comperiat, in eo maximè industriam suam ponat, ut eis salutare doctrinas pro eo statu necessarias paulatim suggerat, atque ad virtutes illi statui necessarias assuefaciat. Resp. 3. si necdum ad certum statum determinatos esse advertat, tum datâ occasione prudenter ipsis necessitatem hujus electionis ostendat, atque ut eam fructuosè instruant, modum facilem simul & solidum edoceat, aut etiam libellos eum in finem compositos suggerat; & si quidem ejus opera in negotio isto uti velint, ultrò eam offerat, nec minùs promptè exhibeat in omnibus iis officiis exercendis, quæ in tali negotio à prudenti & zeloso Confessario expectari possunt.

CAPUT IV.

QUID IN CONFESSIOE RUSTICORUM,
aliarúmque simplicium Personarum obser-
vandum sit?

Q. 1. AN Rustici tales examinandi sint? Resp. cum plerumque ipsi minùs apti sint ad peccata sua cognoscenda, probabiliorè videri sententiam, quæ docet, in tali casu Confessarium obligari ad examinandum Penitentem. Resp. 2. melius ferè facturum Confessarium, si, postquam quæsierit, quædam confessi sunt, mox ipse faciat initium quæstionum, ne vel multa inepta, aut certè impertinentia, & non satis explicita audire, iterùmque novas quæstiones formare cogatur; peccabit tamen interdum, maximè in Junioribus, audire, quibus de rebus ipsimet se accusent, ut hac ratione paulatim ipsi sua peccata enarrare assuescant.

Qu. 2. Quibus de rebus interrogandi sint? Resp. de sequenti-

bus ferè. 1. An nunquam blasphemaverint per Sacramenta. 2. An nunquam juraverint per animam suam, aut *Aluff mein* *Hyd*? 3. An Sacrum die festo culpabiliter non neglexerint? 4. An nunquam mortem, tonitrua, aut simile quid alteri imprecati sint? 5. An non gravem iram conceperint? 6. An non turpia agnomina aliis imposuerint? 7. An nunquam turpia verba locuti fuerint? nam de cogitationibus vix quæri debent, cum plerumque malitiam in illis non advertant. 9. An nunquam se voluntariè inebriaverint usque ad rationis privationem? 10. An suis Parochis & Dominis decimas & tributa integrè, fidelitèrque obtulerint? 11. An nullum in emendo aut vendendo deceperint? 12. An nunquam alteri detraxerint? Resp. 2. in ejusmodi quæstionibus formandis tria bene observanda esse. 1. Ut bene specificentur, ne frequentius interrogare sit necesse; hinc non dicat ordinariè Confessarius, an non blasphemasti? quia nesciunt ordinariè, quid sit blasphemare, & ideo respondent affirmativè, licèt tantùm agnomina dederint, aut malum imprecati sint. Potius ergo statim quærat? An non blasphemasti per Sacramenta? Pari modo non quærat simpliciter: An die festo non omisisti Sacrum? sed addat *ex negligentia*, vel culpabiliter: Nec quærat etiam hoc modo: An nunquam fuisti ebrius? sed addat, ut nesciveris, quid ageres? 2. Ut non putet hæc omnia semper interroganda esse, sed prout cujusque conditio fert; hinc mulieres non facilè de ebrietate, fraudatione tributi, turpibus tactibus quærendæ sunt, nisi fortè sint Juvenulæ. 3. Ut, ubi quæsit, quod quærendum esse putavit, quærat insuper, an non adhuc gravioris alicujus criminis conscientiam habeant?

Qu. 3. An de numero quærendi sint? Resp. 1. ordinariè non videri necesse in blasphemis, juramentis, detractionibus, turpiloquiis, cum sæpe talia apud ipsos defectu sufficientis intentionis à peccato mortali excusentur; & præterea, etsi quærantur, plerumque numerum convenientem assignare non possint; poterit tamen interdum Confessarius quærare, an quotidie ita blasphemaverint &c. Resp. 2. si ebrietatem, aut Sacrum ex negligentia omiserint, omnino quærendos esse de numero; cum hæc & similia non tam frequenter fieri soleant, atque adeò numerus faciliùs indagari queat.

Qu. 4.

Qu. 4. *An de circumstantiis interrogandi sint?* R. affirmative; saltem in ijs, in quibus circumstantiam talem explicare possunt, v. g. si dicant, se furatos, aut decimas integrè non dedisse; tunc enim omnino quæri debent, quanta fuerit materia hujus furti. Econtrario verò circa detractiones aut verba turpia rarò interrogandi sunt, quales fuerint, cum plerumq; discernere non soleant, an damnum aliquod ex detractione secutum sit, & an verba inhonesta contra honestatem aut charitatem, an ex levitate tantum quadam & consuetudine prolata.

Qu. 5. *An, si accusent se de quibusdam peccatis, qua in se peccata non sunt, quærendi sint, an putaverint esse peccata, & an talis erronea conscientia ipsis eripienda sit?* R. si dicant, se aliqua peccata, v. g. blasphemias, rixas, & similia in ebrietate commisisse, quæ ex aliorum relatione didicerunt, non esse quærendos, nec corrigendos, cum ejusmodi actus peccaminosi non sint ordinariè; & prudenter cogitari non possit, quòd ideo se inebriaverint, ut ejusmodi peccata committerent. Quòd si verò se de lusu, saltu, vomitu, comestione ante Sacrum die festo, neglecto Sacro ex justa causa, inimicitia (id est, lite coram Judice, quam ipsi inimicitia nomine intelligunt) & similibus accusent, omnino quærendi sunt, an pro peccato gravi tales actiones habuerint; & si affirmant, quoties tale peccatum commiserint? quo intellecto inonendi sunt de errore, & qua ratione licita sit talis actio, breviter explicandum.

Qu. 6. *An, si confiteantur, se ad pecora curanda variis incantationes adhibuisse, aut petisse ab aliis, ut adhiberent, censendi sint mortaliter peccasse?* R. si ipsi adhibuerint ejusmodi incantationes aut benedictiones, omnino quærendos esse, quales fuerint; & si quidem nomina ignota, vel verba falsa, aut apocrypha, aut certus numerus, horæ, & similia adhibeantur, plerumque ut inepta, & vanam observationem olentia reprobari debent, eorùmque loco suaderi, ut vel aquam benedictam, vel Ignatianam, vel certas preces DEO, B. Virgini aut alteri Sancto promissas & persolutas adhibeant. R. si si ab aliis petiverint incantationes illas adhiberi, plerumque periculum esse vanæ observantiæ, atq; ideo consulendum, ut deinceps ab hujusmodi auxiliis petendis abstineant, & potius ad spi-

ad spiritualia, aut certè corporalia usitata confugiāt, eò quòd raro DEUS suam benedictionem impertiat ijs, qui sepositā in ipsum fiduciā, humanam opem & media illicitis modis conquirunt. R. 3. de numero talium peccatorum inquitendo Confessarium non nimis sollicitum esse debere, cum, teste Busenbaum l. 3. tr. 1. du. 2. re. 7. ut plurimum in similibus, in quibus tacitum est pactum, venialiter tantum peccati, doceant Sanchez, Cajet, Armilla & alij Authiores. R. 4. neque de specie superstitionis multum sollicitum esse debere, cum eas specie inter se non distingui, Diana p. 1. tr. 7. re. 44. & 66. cum Reginaldo, Soto & aliis doceat.

Qu. 7. An, si quarant, num in festo S. Stephani equis sanguinem mittere, aut eosdem ter circa templum alicuius Sancti circumducere liceat, Confessarius id permittere possit? R. affirmativè, si faciant id devotionis majoris gratiā, & ut effectus Sanctorum meritis adscribatur. Quare prudentis Confessarij erit, intentionem sui Pœnitentis inquirere hac in parte.

Qu. 8. An, si querant, num ad maleficium, quo pecus infectum est, dissolvendum, possint operā Rustici alicuius in maleficiis dissolvendis famosi uri, possit Confessarius id concedere? R. cum plerumque dubium sit, utrum tales homines possint maleficium sine novo maleficio tollere; ordinariè non esse suadendum, ut eorum operā utantur Rustici: posset tamen Confessarius tali Pœnitenti suadere, ut illos homines quærat, utrum naturali & licito medio maleficium hoc tollere possint? & si quidem affirmant, eorum operā utatur; hoc enim licitum esse Sanch. Palao, Lessius & alij apud Busenbaum concedunt. licet ego semper suaderem, ab huiusmodi mediis abstinendum (nisi evidenter constaret, licita & naturalia esse) fiduciāque in DEO & Sanctis, aut aliis mediis licitis tantæ celestibus, quàm terrestribus ponendam.

Qu. 9. An, si Confessarius nullum particulare peccatum per quæstiones elicere possit à Rustico, nihilominus eum absolvere possit ac debeat? R. affirmativè cum Lugone & aliis apud & cum Dicastillo d. 9. du. 9. n. 744. cum tales impotentes censentur ad peccata in specie explicanda, atque ad eò perinde absolvi debeant ut moribundi, qui per signa tantum de peccatis in communi se accusarunt. uti & P. Gobat tr. 6. n. 479. sic loquens: Negat P. Corinck. l. 6. n. 98. esse probabilem opinio.

opinionem opinantium, quando adest tanta turba confitenti
volentium pro aliquo celebri Festo, ut Sacerdos nequeat om-
nibus satisfacere, audiendo omnes integrè, posse singulis
dicere, ut aperiant solùm graviora è mortalibus, reliqua dif-
ferant in aliud tempus. Censeo ego (pergit cit Author) sal-
vo meliori iudicio, eam opinionem posse probabiliter susti-
neri casu, quo multi advenissent è longinquo obtinendæ ali-
cujus grandis indulgentiæ Confessionem & Communionem
requerentis causâ. Certè si probè examinentur causæ, ob quas
hactenus diximus, ex omnium aut multorum sensu posse di-
midiari Confessionem, & singulariter, quòd ordinatiæ occu-
pationes Superioris præbeant ex multorum opinione causam
audiendi, absolvendique sola reservata, remittendo Peniten-
tem ad inferiorem pro non reservatis, apparebit, non posse
consequenter negari probabilitatem speculativam & pra-
cticam huic meæ restrictivæ opinioni. Ita ille.

Qu. 10. *An si magnus sit Rusticorum accursus, dimidiari
possit confessio, potioribus tantùm peccatis auditis, & reliquis in
aliud tempus dilatis?* R. ita quidem sentire aliquos apud Co-
ninck d. 7. du. 9. n. 93. quorum sententiam Laym. l. 5. tr. 6.
c. 13. n. 10. non omnino improbare videtur. Paulò aliter re-
spondet P. Georgius Gobat tr. 7. n. 430. in hæc verba: Pro-
ponendæ sunt tali homini aliqua species communium pec-
catorum, quas omnes si neget, dici potest, imò juxta Layman-
num l. 5. tr. 6. c. 8. n. 8. debet: Ergo, mi bone vir, quia nihil
vis confiteri, non possum te absolvere; abi in nomine Domi-
ni. Nec dubitandum, quin plures ex his sint immunes ab
omni gravi noxa. Et verò aliquoties id feci, sed aliquando
tum eo fructu, ut metus excidendi jure absolutionis excitaret
ad meliùs cogitandum de admisis, & nominàrit unum, al-
terùmve. Communiter tamen vel quæro ex talibus, quæle-
nam peccatum sint confessi in postrema aut prioribus confes-
sionibus, extorqueo que facile unum, at non reor, me habere
sufficientem materiam confessionis, nisi iis dicam: Ergo ite-
rum accusas te de hoc peccato, & petis à DEO veniam? Vel
sciscitor, an nunquam in pueritia fuerit mentitus, convitiis
alios affecerit, parentibus non fuerit causa iræ, & tunc ferè
infallibiliter reperio materiam, modò subdat se rursùm talia
confiteri. Gregorius Teretius in Instruct. Idioræ c. 1. §. 2. q. 1.
scribit

*Ms. fac. de peccatis et de
confessione in
Euglenim gram.*

scribit, quando advertit rudem illum esse bonæ mentis, & à non longo tempore confessū, posse elicitò actu contritionis, ad quem ut illum quasi manu ducas, hortatur, sine absolutione dimitti post *Misereatur & Indulgentiam*. Si verò diu distulit confessionem, e.g. per dimidium annum, tutius esse, si impertiat illi absolutio, prius tamen interrogato, an non doleat, quòd, cum sine dubio multa saltem venialia commisit, ita tamen incuriè vixerit, ut ad tam multa peccata nullo modo attenderit; si cognoscat, se planè incuriè vixisse, & in posterum meliùs ad suas actiones attenturum, censet rectè hic Theologus, posse donari absolutione, etenim talis incuria absque dubio continet aliquam culpam. Hucusque P. Gobat, quæ omnia probari possunt, antequam ad practicandam priorem sententiam accedatur. Verùm meo iudicio rectiùs faciet Confessarius, si ad expediendos citiùs Pœnitentes observet sequentes industrias. Et 1. quidem omittat quæstiones aliquas de peccatis, de quibus plerumque certum est, quòd venialia duntaxat sint apud ejusmodi homines, uti sunt ira, agnomina, detractio, & similia. 2. Omittat colloquia, adhortationes, quas alioqui fecisset, si tempus & orium habuisset. 3. Si rudiores aliqui sint instruendi, instructionem differat in aliud tempus, moneatque, ut redeant vel ad se, vel ad alium. 4. Abscindat narrationes longiores & importunas ambages Pœnitentum; & si tales nactus sit, ipse potiùs formet quæstiones, quàm ut illos peccata explicare sinat. 5. Omittat orationes pro absolutione dici solitas, exceptâ illâ, quæ essentiam absolutionis continet. 6. Poterit, si velit, sequi sententiam Vasquezij & aliorum docentium, non teneri Confessarium interrogare Pœnitentem, atque ad eò uno, alteròve peccato intellecto mox interrogare, an nihil ampliùs conscientiam gravet; & si quidem affirmet, mox ad pœnitentiam injungendam, absolutionemque proferendam procedere.

Qu. II. *An, & qualis adhortatio Confessioni Rusticorum subiungenda sit?* R. 1. longiorem adhortationem non facile adhibendam esse, cum plerumque eam vel non satis intelligant, vel certè modico cum fructu percipiant; nam rationum rarò sunt capaces; historias verò quibus facilius moventur, tempus recensere non finit. R. quandoque si uni vitio petuloso v.g. ebrietati aut luxuriæ sint dediti, brevem adhorta-

tionem subnecti posse, quæ tamen ferè ex spe præmij & timore pænæ sive æternæ sive temporalis petenda est. R. 3. optimas esse adhortationes, quæ quandoque ipsi confessioni interferuntur, ut si, cum queruntur filios suos, aut domesticos valde immorigeros esse, subjiciat Confessarius: hinc colligimus mi bone vir, quantopere DEO displiceat, si nos, qui potius longè jure ei servire obligati sumus, illi tam inobedientes simus.

Qu. 12. *Qualis penitentia eiusmodi Rusticis sit imponenda?*
R. plerumque preces tantùm illis imponendas esse, & quidem tales, quas vel statim post confessionem, aut proximo festo recitare possint. Interdum tamen potest etiam Confessio & Communio pro aliquo festo, aut etiam frequentatio Concionis aut Catechismi illis imponi. Illud autem observet Confessarius, ut, si graviora peccata attulerunt, ordinariè illis Rosarium ad minimum imponat (licet alioquin propter spem Indulgentiarum minùs posset imponere) quia alioquin putant nimis parvam sibi penitentiam injunctam esse, utrumque peccata confitentur.

C A P U T V.

*QUID CIRCA CONFESIONEM EORUM,
qui integrè confiteri, ex pudore vel pertinacia
nolunt, sit observandum?*

Q. 1. *Quanam integritas requiratur ad confessionem?* Proponitione notandum est, duplicem esse integritatem, materiale scilicet, & formalem. Materialis est, quæ exprimitur omnia, quæ sunt ex præcepto Christi, per se loquendo, exprimenda, nimirum omnia peccata mortalia memoriam occurrentia, non confessa, eorumque numerus, & circumstantiæ, quæ speciem mutant: Formalis integritas est, quando præcisè ea in confessione exprimuntur, quæ confitentia hinc & nunc dicitur exprimenda. Hoc supposito responsionem esse, uti habet communis sensus Authorum, & colligitur manifestè ex Concilio Tridentino s. 14. c. 5. & quidem, ut ex eodem Tridentino P. Gobat tr. 6. n. 340. colligit, quædam

plicem, scilicet *Specificam*, in qua peccatorum mortalium species: *Circumstantificam*, in qua circumstantiæ: *Numericam*, in qua numerus: & *Dubiam*, in qua dubia moralia continentur.

Qu. 2. *Quando integritas formalis sufficiat ad confessionem?*

R. In genere loquendo, tunc confessionem formaliter integram sufficere, quando materialis integritas vel physicè non est possibilis (uti fit in mutò & sardo scribere non potente, aut surdo, aut ignaro idiomatis, aut moribundo omnia explicare non valentibus; aut etiam eo, cui peccatum unum vel plura post diligentem discussionem in memoriam non veniunt; aut certè ipso tempore confessionis iterum excidunt è memoria) vel certè moraliter est impossibilis, id est, sine gravi damno proprio aut alieno, v. g. vitæ periculo, violatione sigilli, amissione famæ &c. haberi non potest, & aliunde necessitas urget ad confessionem peragendam; uti fusiùs apud Casistas videre est.

Qu. 3. *Quanam potissimùm sint obstacula, qua impediunt integritatem confessionis?* R. septem plerumque numerari.

1. *Negligentia in conscientia examinanda*; unde mirum non est, si aliqua peccata memoriam subterfugiant. 2. *Verecundia & pudor*; sic Dæmon ipse olim fassus, se, dum Homines peccare solent, verecundiam illis eripere; restituere verò, eùm eadem confiteri deberent. 3. *Timor Pænitentia*; sic Joannes Major in Speculo Exempl. V. Confessio ex. 27. narrat, Principem quendam semper à confessione abstinentem, eò quòd timeret, ne gravis ipsi pænitentia imponeretur, post mortem titutionis instar denigratum uxori apparuisse, dixisseque; Jam certus sum, quia infernus datur (hoc enim priùs nolebat credere, figmentum Sacerdotum esse dictitans) & timor, quem habui ad agendam pænitentiam, me illuc deportavit. 4. *Metus restitutionis faciendæ*: ita jam olim tres Dæmones in obfesso adjurati fassi sunt, dum dixerunt, tres in eo homine Dæmones sedem suam fixisse, quorum primus vocetur *claudens cor*, eò quòd officium illius sit impedire, ne Peccator in corde contritionem de peccato commisso eliciat: Secundus verò *claudens os* appelletur, eò quòd ipse conetur impedire Peccatorem, ne ore sua peccata Sacerdoti aperiat, & confiteatur: Tertius autem *claudens bursam* nomen & officium accepit,

instruè. V.

I

ceperit,

ceperit, eò quòd ipse post factam confessionem efficere conetur, ut restitutio ablatorum non fiat, sicque tota confessio irrita reddatur; & hunc plùs, quàm reliquos duos efficere, eò quòd difficiliùs plerumque Hominibus accidat, injustè confessà restituere, quàm contritionem elicere; aut peccata confiteri, uti fusiùs in cit. Spec. V. Contritio. ex. 10. refertur. *5. Timor infamia apud Confessarium incurrenda*: quod impedimentum experta est Monialis illa, de qua idem Speculum V. Confessio. ex. 24. narrat, quòd post mortem Abbatissa apparuerit, falsaque sit, se æternùm damnatam esse, eò quòd impuræ tentationi erga Juvenem quempiam consensum protulerit, &, quia à Confessario & aliis castissima putabatur, metu hujus famæ amittendæ peccatum illud confiteri neglexerit. *6. Dissidentia & desperatio peccati vitandi*: quo impedimento olim S. Augustinus retardabatur, falsò sibi persuadens, se castitatem servare non posse. *7. Perseverantia quadam & obstinatio in odio erga inimicum concepti*: uti videtur est in muliere illa, de qua sæpe citatum Speculum V. Dimittere. ex. 6. narrat, quòd, cum Sacerdos ipsi Viaticum poringeret, vultum averterit, dixeritque: Sicut ego me averti ab aliis nolens ignoscere, sic DEVS se nunc avertit à me nolens parcere: & his dictis expiravit.

Qu. 4. Quomodo primum impedimentum negligentia removendum est? R. triplici potissimùm remedio id removendum esse. *1.* Ostendendo gravitatem hujus negligentie, ut quæ non minùs faciat, ut Confessio sit irrita, & sacrilega, ac si deliberatè & scienter peccatum aliquod in confessione quis commisisset. *2.* Ostendendo, stultitiam ejusdem negligentie, quam quidem Cardinalis Bellarminus conc. 9. rectè sequenti discursu demonstrat: *Quæso te, inquit, si reum aliquem ante tribunal Judicis constitueres, & nihil diceres aliud, quam: Iste egit contra legem, rogo, ut velis ferre sententiam: quid respondet iste? an non putaret, se irrideri? iste egit contra legem, inquis? contra quam legem? Stulte, quam sententiam feram, si, quod eius sit peccatum, ignorem? Pari ratione, si Medicum adeas, & dicas: *Mihi aliquid dolet, adhibe quæso Medicamentum: quid ille? nonne dicet: Stupide, quid est, quod tibi dolet? caput, oculi, dentes, renes, pedes? an putas omnia medicamenta omnibus malis convenire? quid si in pro-**

agrâ labores, & ego medicamentum dentibus adhibeam? Atque idem facit, qui à Confessario judicari & sanari petit, nec tamen peccata sua eidem, ut oportet, explicat. 3. Ostendendo, necessitatem emendandæ hujus negligentia; utpote quâ stante frustra est omnium aliorum peccatorum confessio, cum unum sine alio non dimittatur, quamdiu adest possibilitas moralis omnia confitendi.

Qu. 5. Quomodo secundum impedimentum verecundia removeri debeat? R. sequentia ferè remedia à Confessariis prudentibus & expertis præscribi. Primum S. Franciscus Xavierius, ut videre est l. 4. vit. c. 23. suggestit, dum Confessarios magnopere hortatus est, ut in confessionibus audiendis, animorum sanandorum cupidine accensi, comiter, benignèque confitentes exciperent, quò spiritualium Medicorù lenitas eos pelliceret ad omnia cōscientia sue vulnera haud cunctanter aperienda. Proinde ne initio præsertim confessionis, gravitatem, severitatēque præferrent, sed facilitatem potius ac lenitatem. Hinc P. Casparo Barzæo Armuziam ituro hoc præceptum dedit: Videndum est, etiam atque etiam, ne inter audiendas confessiones metus obstet libertati, severè excipiendo delicta; sed pugnandum potius, ut timidis animum comitas addat, diuinam afferendo clementiam, hominūque noxas elevando, donec libero animo atque ore peccatorum omne evomuerint virus. Et in hoc genere cautio adhibenda est vel maxima; neque enim desunt, qui pudore impediti commissa scelera majore scelere suppressant. Alterum remedium idem Sanctus subministravit his verbis: Adversus existialem illam verecundiam omni ope & arte certandum est. Flagitiis eliciendis non alia via expeditior, quàm denuncia- te, nos longè fœdiora, gravioraque aliorum cognovisse faciora, & simul illa ipsa, quæ timidè, cunctantèrque exposuerint, aptis extenuare verbis, ut facilitate confirmatus pudor fidentiùs reliquas aperiat vitæ labe. Tertium est, ut pudor olim coram toto humano genere, imò & Angelis universis sustinendus ob oculos ponatur, & sic pudor coram unico homine tolerandus illo universali pudore, velut clavus clavo pel- latur. Quartum est, ut unum, alterumve tragicum exem- plum eorum, qui ob pudorem talem æternū perierunt, qua- le v. g. est illud, quod ex Scala cæli ex. 32. in magno Speculo

Exempl. legitur de muliere conjugata, quæ, licet tot eleemosynas dederit, ut vulgò Mater Pauperum diceretur; tamen quia Filium ex adulterio cum Famulo suo conceptum occidit, & hoc peccatum ex pudore semper reticuit, post mortem Filio suo Religioso apparuit cum horrendis duobus Draconibus, qui pectus, totumque corpus horrendè lacerabant, & que ob peccatum silentio suppressum damnatam dixit. Quintum iterum S. Franciscus Xaverius l. c. suggessit sic loquens: Illud verò ad liberam vocem exprimendam ultimum (et si raro assumendum, cautèque) auxilium est, ut tua Superioris vitæ peccata, generatim scilicet, universèque significes, quod ita esse, ipse te usus docebit, ac dies. Certè S. Ignatium hoc medio sceleratum aliquem Sacerdotem ad confessionem integram faciendam perduxisse, ex primo libro vitæ illius constat.

Qu. 6. *Quomodo tertium impedimentum, scilicet timor pœnitentiæ removeri debeat?* R. sequentia ad hunc finem melius non parùm profutura. 1. Si leviozem ei pœnitentiã, quam putabat, impositurum se promittat; id quod juxta probatos Authores potest in tali casu facere, cum secundum hos non facillè dimittendus sit Pœnitens, qui vel modicam vult pœnitentiã acceptare; præstetque illum cum modica pœnitentiã ritè perfoluta mitti ad purgatorium, quam cum grandi non perfolvenda ad infernum. 2. Si ipse Confessarius possideatur, se partem pœnitentiæ in se suscepturum, quæ charitas non modicas habet vires ad durum & timidum cor Pœnitentis expugnandum. 3. Si opera pro Indulgentiis plenariis obtinendis præscripta, quæ plerumque facili labore perfolvuntur, se illi injuncturum promittat. 4. Si illi in memoriam revocer, pœnam pro peccatis commissis aut in hac, aut in altera vitâ subeundam esse, simulque gravitatem horum præ illis paulò clariùs demonstrans, tandem illa Servorum ad Nazarian Herum suum prolata verba 4. Reg. 5. repetat: *Pœnitentiam, nisi rem grandem tibi dixisset Propheta, certè facere debuisset, quanto magis, quia nunc dixit tibi: lavare, & mundabor.* Quis Reorù optione facta ad eligendù unum ex duobus Jucibus, severissimo uno, altero lenissimo, & ipsius Rei amantissimo, illum præ isto eligeret? cur ergo Pœnitens facta potest stare, ut vel à Confessario, qui ipsum singulariter diligit, & zelpe-

respectu DEI lenissimus est, vel ab ipso Christo Iudice olim venturo, & cuncta strictissime discussuro, ac punituro, iudicari possit, non libentius Confessarii, quam Christi iudicio se subijciat?

Qu. 7. *Quomodo quartum impedimentum, videlicet metus restitutionis facienda removeri debeat?* R. si unum vel alterum ex iis motivis, quæ supra p. 1. c. 1. §. 1. de quinta obligatione Confessarii ad restitutionem imperandam q. 6. allata sunt, ei proponat; quæ proin ibidem videri possunt.

Qu. 8. *Quomodo quintum impedimentum, scilicet timor infamiae apud Confessarium patiende removeri debeat?* R. 1. si ei ostendat, quàm vanus sit hic timor, cum Confessarius eum potius ob tam generosam sui victoriam, & emendationis desiderium magni æstimaturus, majusque cum Angelis gaudium super ipso utpote Pœnitente, quàm super aliis nonaginta justis levia duntaxat peccata consentibus sit habiturus. 2. Si ei in memoriam revocet, quàm non solum non probrosum, sed summè potius honorificum fuerit S. Petro, S. Paulo, S. Mariæ Magdalena, S. Augustino, aliisque gravibus Peccatoribus, quod post lapsus graves toti Orbi manifestatos insignem pœnitentiam egerint; quidni ergo & ipse honorè potius speret ex serâ confessione & emendatione, quàm infamiam, credâtque in se impletum quodammodo iri, quod DEVS Apoc. 2. promisit dicens: *Vincenti dabo manna absconditum (id est, insignem in animo delectationem) & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit?* 3. Si ei ostendat, Confessario nihil novi esse, si ejusmodi peccata audiat, notâmq; illi satis tam humanam fragilitatem, quàm Diaboli ad lapsum impellentis potentiam & astutiam esse; imò suâmet hoc in genere debilitatem quotidie experiri, ac proin meritò illa S. Augustini in psalm. verba ad Pœnitentem usurpare ac dicere posse: *O Homo, quid times confiteri? illud, quod per confessionem scio, minus scio, quàm illud, quod nescio. Cur confiteri erubescis peccata tua? Peccator sum, sicut & tu. Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Confitere homo homini, homo peccator homini peccatori: Elige, quod vis; si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc DEVS exigit confessionem, ut liberet hominem humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat*

superbum. 4. Si ei ostendat, etsi peccata illa, quæ confiteri erubescit, hominem lateant, DEO tamen intimè perspecta esse, atque adeò infamiam apud illum contractam, quæ magis fugienda est, quàm infamia apud omnes Homines & Angelos contracta, non effugiturum; an non ergo vel ipsa ratio dicat, hanc infamiam totis viribus esse propellendam, atque adeò confessionis remedium, quod unicè necessarium & efficacax est ad hunc finem, magna promptitudine & humilitate esse arripiendum? 5. Si cum considerare jubeat, quòd hæc ipsa peccata, quæ jam confiteri erubescit, olim sint omnibus Hominiibus & Angelis manifestanda; si ergo infamiam apud unum hominem subeundam tantopere timet, & à se amoliri conatur, quantò magis infamiam coram omnibus Hominiibus & Angelis subeundam timere, & ut per confessionem factam avertat, laborare debet? 6. Si ei ex una parte gravissima damna, quæ tam ex amissione tot meritorum in hac vita; quàm pænarum in altera vita æternùm tolerandarum supplicio orientur, ostendat; ex altera verò parte demonstret, quàm leve sit infamix damnus, quod incurrere per confessionem faciendam timet, cum planè hæc infamia sit unica Confessarii cogitatio, quam de ipso ut Peccatore concipiet, quæ tamen tam parùm ipsi, si confessus fuerit, nocebit, quàm parùm Homini justo noceret, sive in corpore, sive in anima, si omnes Homines eum gravissimum esse Peccatorem crederent. 7. Ostendat ei, quàm grave tormentum ex hac suppressione sit passurus, simile scilicet illi Homini, qui grave ulcus occultis in partibus sortitus, Chirurgus illud revelare nollet, sicque malum semper invalescere permitteret; quantum verò è contrario solatium percepturus sit, si ulcus hoc Confessario aperire, medicinamque admittere conabitur. Eum in finem historia illa decantata de Cive locuplete Anverpiensi, quam fusè narrat Joannes Crombecius l. 2. de pecc. c. 2. & alii, in memoriam revocari poterit, qui, cum audiret, neminem obligari ad ea peccata in confessione explicanda, quæ facta debita discussione memoriæ non occurrunt, omnia media adhibuit, ut peccatum aliquod, quod manifestare ipsa morte & damnatione graviùs illi acciderat, oblivisceretur. Sed cum frustra omnia tentasset, & tandem in Patrem quendam è Societate JESU incidisset, ab eoque per-

pium Stratagemata ad confessionem perductus esset, in has demum voces erupit: *Quantum bonum est, mi Pater, peccatorum confessio! quam securum me, letumque reddidit! quam multa tristitia sum passus, confessionem fugiens, qua facile evadere potuissem, si conscientia parere voluissem!*

Q. 9. *Quomodo sextum impedimentum diffidentia & desperationis de vitio certo, aut tota vita emendanda removeri debet?* R. 1. Si ei ostendatur, quam multi homines ab eo vitio, cujus fugam ipse impossibilem putat, sine difficultate abstineant; imò & ipsemet aliquando, quando in morbum aliquem graviorem inciderit, ab eodem facile sibi sit temperaturus, & mox inferatur; an ergo tu non poteris, quod isti & istæ potuerunt? an gratia DEI & generosa resolutio animi non poterunt, quod infirmitas corporis potest? 2. Si ei demonstret, quam paratum à DEO ad hoc vitium debellandum auxilium habeat, si modò illi cooperari velit. Quem in finem proderit illi narrari historiam de Juvene, qui, cum de vitio quopiam superando desperaret, immanem contra se in visione quadam Gigantem stare, sed simul etiam Angelum sibi assistentem, & ut Gigantem invaderet, adhortantem conspexit. Cum verò Juvenis timore correptus, impossibilitatem victoriae objiceret, respondit Angelus, invaderet modò ipse Gigantem, mox se ipsi auxiliatrices manus præbiturum, quod & fecit. Quâ visione Juvenis mirè erectus est, utpote intelligens, per hunc Gigantem vitium suum, per Angelum verò assistentem paratum DEI fortissimum auxilium significari. 3. Si ei narret piium Stratagemata, quo Pater quidam è Societate JESU ad Hominem quempiam à vitio iracundia abducendum est usus, & à P. Petro Manrique in libello *Sacrae Tempe* inscripto c. 2. exemp. 4. sequentibus verbis refertur: Unus quidam extremè iracundus versabatur in hoc secessu, cumque Pater spiritualis apud eum de hoc vitio ageret corrigendo, contrà tendebat, Pater, inquit, *cuique suum vitium, mihi meum; hoc sum ingenio, huc Natura me impellit, quam non expello.* Pater spiritualis malo remedium nullum videns, quoad ista mentis illusio discuteretur, quæsit ex eo, *ecquid alterum in urbe mentis impotentia similem sciret? Vix inveniam,* inquebat ille, *verumtamen in adibus meis est, qui tantundem, & me vehementius hoc vitio infestatur: & non*

men edidit. Tum Pater, *si*, inquit, *pro illo remedium inveniam, numquid manifestum erit, emendari te posse.* Ajente illo, Pater abijt, Hominem quæsitum, quem, ubi nactus est de Mediatinis egentem, pactus est ei certum pecuniæ numerum, si patienter devorare possit ternas injurias, & cum dicto docuit cum examen particulare. Accepta conditione, doctrinæque abijt ille, cupiens offerri ad versa, ut citius potiri nummis posset. Diebus haud multis elapsis, oblata est iræ occasio duobus illis iracundis, quorum alter indignatione commotus multis asperis verbis alterum incessivit, tum hic promissæ memor pecuniæ quievit insolente modestia. Ille injurius novitate rei perculsus, ac ratus, quæ præmii erat cupido, virtutem esse patientiæ, mox veniam rogavit, reversusque ad Patrem spirituales ait, demonstratum esse, vitium suum corrigi posse, quando vidisset emendatum alterum magis iracundum se; quamobrem admittit idem usum examinis particularis, brevi-que tempore Victor morbi sui evasit insignis. 4. Si ei ostendat, quam grandia damna ex tali vitio patiat, quàmque adeo æquum sit, ut confessionis remedium, quod ad ejusmodi vitia delenda, atque ad relapsum in ea cavendum præcipue institutum est, studiosè potiùs usurpet, quàm declinet; cum duplex illi in Confessionali Medicus paratam offerat sese, Christus scilicet utpote Author hujus Sacramenti; & Sacerdos, qui Vicarium agit Christi. 5. Si eum sequenti pij Ascetæ Claudij Viexmontij adhortatione alloquatur p. 5. de pæn. c. 6. Duo sunt vascula, Frater charissime, quæ sæpiùs luto inficiuntur: quorum unum sæpiùs lavatur, alterum verò in sordibus suis obdurescere finitur, utrum horum sordidius dices, & unde sordes avellentur difficiliùs? nimirum illud, quod sæpe inficitur, & nunquam abluitur. Id ergo ad tuum transfer animum. Putasne feliciùs multò tecum actum luto, impænitens, inconfessusque non cesses peccata peccatis addere, quàm si sæpe recidens sæpe etiam resurgas, & Pænitentium peccatorum veniam sæpe habeas? Qui frequenter resurgit, non tam frequenter recidit, quia ex frequenti pænitentia à multis peccatis avocatur, & ad DEI offensam timidior reciditur: nec tam multis peccatis est onustus, quòd de multis pænitentiam fit à DEO absolutus. Qui verò à peccatis suis resurgere non curat, eum gravis omnium peccatorum sarcina,

na gravat, & ex malevola voluntate penè incessanter peccat, & plerumque ipsi in peccatum vertitur, quod viro justo causa meriti efficitur. Velut aranea, si quid sani comederit, illud statim in veneni malignitatem convertit, & sicut ne somnus quidem Sanctorum caret merito, quòd timentibus DEVM omnia cooperantur in bonum, & bonis bona sunt omnia, quæ malis essent mala.

Qu. 10. *Quomodo septimum impedimentum, scilicet odii & inimicitia sit removendum?* R. 1. per ea omnia media, quæ in Instruct. pract. 3. de conversat. privata. c. 3. §. 7. universim observanda dixi cum iis, qui inimicitias deponere nolunt. 2. Si eidem ostendat, continuando odium, & confessionem protrahendo, eventurum illi, quod Echino contingere solet, qui, quia ob prolium egredientium aculeos partum differt, crescente factu majores dolores pati cogitur, & sæpe omnino rumpitur. 3. Si ei demonstret, quantorum bonorum jacturam faciat interea, dum confessionem differt, & inimicitias fovet, cum nullum illius opus, quamdiu in hoc statu permanet, Deo gratum & meritorium esse possit juxta ipsius Christi testimonium. Matt. 5. dicentis: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia Frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum (tanquã ingratum Deo) & vade prius reconciliari Fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

CAPUT VI.

QVID CIRCA CONFESIONEM INVETERATORUM Peccatorum observandum sit?

Q. 1. *Quinam hoc loco per inveteratos Peccatores potissimum intelligantur?* R. 1. in genere eos intelligi, qui eadem quotidie peccata committere solent, nec ullum serium emendationis procurandæ propositum concipiunt; licet enim quandoque dicant, se propositum habere, revera tamen non habent, eò quòd illa remedia, quæ ad vitanda peccata adhibere tenentur, v. g. fugam occasionum & similia, usurpare nolint, sicque verificent id, quod S. David ps. 36. dixit: *Mentita est iniquitas sibi.* R. 2. In specie tria potissimum esse genera ejusmodi inveteratorum peccatorum. Primum est eorum, qui odia & inimicitias deponere nolunt. Alterum eorum, qui restituere nolunt injustè possessa, etiamsi sine gravi

damno id facere possint. Tertium est luxuriosorum, qui aut consuetudinem secum ipsis peccandi contraxerunt, aut in occasione proxima cum aliis peccandi constituti, nolunt eam deserere, licet possint, & debeant. Quibus interdum etiam quartum genus Ebriosorum; vel etiam quintum Usurarium, aliorumve injusta lucra sectantium addi potest.

Qu. 2. *Quid unversim circa eiusmodi Personas observandum sit Confessario?* R. Generatim omnes industrias & præcepta, quæ à peritis Confessariis cum eiusmodi Personis adhibendæ præscribuntur, ad tres Classes revocari posse; nam quædam adhibendæ sunt antè, quàm curatio suscipiatur; aliæ ipsius curationis tempore usurpandæ sunt. Et aliæ denique post factam curationem sunt observandæ; de quibus proinde majoris claritatis gratiâ per diversas quæstiones agendum erit. Itaque

Qu. 3. *Quid ante curationem Confessarius ex sua parte observare debeat?* R. sequentia videri observanda. 1. Ut crebrò & ardentè oret pro tali Pœnitente, maxime quando Christum sub Sacro in manibus habet, quod Pater quidam nostræ Societatis mirè sibi profuisse comperit, dum in simili casu ad Christum in manibus retentum dixit: Obsecro, Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, dona mihi animam, pro qua rogo. Et mox rediens ad ægrotum audiit eo ipso tempore, quo orationem hanc ipse peragebat, penitus immutatum fuisse, Confessariumque petiisse. 2. Ut in subsidium vocet S. Angelum Custodem, cæterosque Patronos Pœnitentis, quo remedio P. Petrus Faber plerumque non sine felici successu usus est. 3. Ut pro impetranda Pœnitenti gratia efficaci conversionis certa opera pro animabus purgantibus offerat, sicque ipse consilium S. Danielis secutus, peccata Pœnitentis hoc præstantissimo elemosynæ genere redimere conetur; quod medium mirè sibi profuisse, non pauci sunt experti. 4. Ut singularem erga Pœnitentem condolentiam, charitatem & mansuetudinem ostendat; sic enim & Pœnitens mutuo amore accendetur, & tum ad remedia paratiorem adhibebit animum; tum etiam timebit, tam dilecto Patri tiosâ suâ consuetudine & pertinacia tam gravem dolorem creare. 5. Ut non abijciat animum, nec desperet de emendatione Pœnitentis; si enim Medicus desperet, quid ægrotus faciet?

faciet? si Dux pugnae fugit, quid Miles faciet? *Certe in rerum natura, teste S. Basilio reg. 10. fuf. nihil est, quod non diligentia corrigatur: neque vitium ullum adeo grave, quod non DEI timore pervincatur. Quod si Agri cultores viam & rationem invenerunt, qua amygdali alias acerba dulcia proferant amygdala, cur via non inveniatur ad vitiosos mores mutandos?* Et forte, ut sapienter advertit S. Chrysostomus ho. 41. in gen. *si hodie verbis tuis non obtemperat, postea obtemperabit; & si neque secundo & tertio admonenti obtemperabit, iterum tamen te videns urgentem forte erubescet, & reveritus tuam curam ab his, qui offendunt, desistet. Non videtis, quanta DEVS longanimitate nos tolerat, & quomodo quotidie negligimus obtemperare mandatis eius, & neque sic cessat a cura nostra? simili modo & nos erga Fratres nostros bene affecti magnam faciamus diligentiam, & reluctemur maligno illi Daemone, ut irritos faciamus eius conatus.*

Qu. 4. *Quid in ipsa curatione observandum sit?* R. universam Confessarium meminisse debere, se quoad hoc Medici munus & partes sustinere, atque adeo similes quoque industrias adhibere debere, quales Medici in curandis corporibus usurpare consueverunt, quae quidem ad quinque ferè reducuntur, scilicet 1. Ad morbi cognitionem. 2. Curandi ordinem. 3. Mediorum inventionem seu electionem. 4. Eorundem applicationem. 5. Temporis observationem, quae omnia ex sequentibus quaestionibus clariùs elucebunt.

Qu. 5. *Quid circa morborum cognitionem sit observandum?* R. sequentia ferè studiosè observanda esse. 1. Ante omnia indagandum est, quibus peccatis maximè sit obnoxius Pœnitens, id quod tum ex confessione ipsius, tum ex aliorum relatione, tum verò interdum etiam ex propria experientia, variiisque indiciis, quae nec ipse Pœnitens satis agnoscit, cognosci potest. 2. Etiam ingenium & complexionem naturalem Pœnitentis indagare oportet; uti S. Gregorius monet: nam & hæc non parùm conducit ad medicamenta postea fructuosius applicanda. 3. Tempus quoque, quod Pœnitens in peccatis consumpsit, negligendum non est; cum difficilior utique sit curatio illius, qui longo, quam qui modico tempore in consuetudine perseveravit. Hinc Salomon Eccl. 10. ait: *Langvor prolixus gravat Medicum; brevem languorem praecidit.*

Medi-

Medicus. Unde & ipse Christus lunaticum & furiosum curaturus, Parentes illius quæsit, quantum temporis esset, quo ei id acciderat? Marc. 9. 4. Præ reliquis tamen radix morborum indaganda est; quia, ut sapienter pronuntiavit S. Chrysostomus, serm. 2. in Paralyt. demissum; *Mos est Medicorum, ut non prius morbos abigant, quam eorum fontes occludant; frustra enim, ut S. Ambrosius in ps. 61. ait, cicatricem curaverit, si serpent interiora contagia: imò acerbatur vulnus, si foris clauditur, cum interius vulnus exastuat.* Quænam autem sint potiores vitiorum radices, breviter his verbis indicavit S. Bernardus: *Si vis videre, qualis tua sit conversatio, & quam verè solida, vide, quid diligas, quid metuas; unde gaudens, unde tristis.* Quia verò iudicium & voluntas propria sunt quasi Duces omnium internarum inordinationum, & operum, quæ exterius erumpunt, & quæ maximè curationem retardant, ideo in his ordinandis etiam præcipua cura Confessarii versari debet. 5. Non contentus esse debet, ut ipse duntaxat morbos & radices Pænitentis agnoscat, sed insuper etiam laborare debet, ut eorum notitiam ipse quoque Pænitens acquirat, siquidem in cognitione sui initium remedii consistit, teste S. Gregorio ho. 4. in Ezech. Quamobrem multum refert, inquit Ludovicus de Ponte to. 4. de perfect. tr. 5. c. 12. §. 1. ponere illi ob oculos aliquod speculum aut picturam, in qua animæ suæ dispositionem intueatur, afferendo illi aliquas sententias, sive exempla S. Scripturæ, cum in modum, quo Christus Dominus noster Parabolas proponebat Pharisæis, in quibus ipsorum vitia cum omnibus circumstantiis depingebat. Hinc e.g. dicit inveterato & consuetudinario Peccatori: *Dicito, bone vir, si hominem videres ea, quæ paulo antè comederat, magna cupiditate iterum devorare, an non horreres & insanire eum diceres? cur ergo tu peccatum, quod per confessionem toties evomisti, toties resorbes? Item si videres hominem cum porcis habitare, & eorum filiquis pasci, quid de illo sentiret? atqui tu es ille vir.* Nonnunquam crudeles historiarum narrari possunt, v. g. Filii, dum in vineam à Patre exire iuberetur, eundem in via invadentis, prostermentis, & crudeliter interimentis: aut Christi in cruce aures obturantis, quando preces fiebant pro eo, qui prius ad vocationem surdus fuerat; item eiusdem Christi sanguinem è la-

tere educentis, & in os Adolescentis obstinati proijcientis cum hoc dicto: Sanguis meus sit tibi in perditionem. Hæc, inquam, & similia per occasionem quasi aliud agendo narrari possunt, ut per illa statum suum Peccator agnoscat, & manum medicam Confessarii tantò faciliùs admittat.

Qu. 6. *Quid circa Ordinem curationis observandum sit?*
 R. quatuor præcipuè. Primum est, ut non omnes morbos simul curandos suscipiat, sed sensim & paulatim. Sic enim & Christus exemplo suo docuit, qui, licet potuisset ab omnibus semper malis curare, non tamen id fecit, ut apparet in cæco illo, cui bis manum imposuit super oculos, ita ut primò aliquid tantùm videret, postea verò plenum oculorum usum reciperet; ut significaret, inquit Ludovicus de Ponte l. c. §. 2. licet Confessarii in Sacramento Pænitentiae totam animam sanam reddant quoad remissionem peccatorum lethalium, vitiorum tamen & passionum reliquias eos non simul, sed paulatim curare debere; quemadmodum & Moyses de Nationibus sibi inimicis dixit, Deut. 7. *DEVS magnus & terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, & per partes non poteris eas delere pariter.* Alterum est, ut morbos magis periculosos (quales sunt plerumque, qui internum statum animæ concernunt) priùs curandos suscipiat. Sic S. Isidorus Pelusiota monet, dum ait: *Quemadmodum optimus Medicus ad agrotantis naturæ subsidium arte instructus & armatus, cum variis morborum generibus obsidetur, adversus eum, qui acrius urget, in procinctu stans, eos, qui dilationem admittunt, in posterius servat, eodem modo tu quoque medendarum animarum scientiam prudentiâ temperans; ad id, quod amplius urget, oculorum aciem intende; nam eo sanato spes est fore, ut reliquæ etiam sanentur.* Quòd si tamen aliqui defectus non internum tantùm animæ statum concernerent, sed foràs etiam prodirent, Proximòque graviter nocerent, v. g. si exorbitaret in lingua graviter aliis detrahendo; aut cupiditate vindictæ exardescens gravia aliis damna inferret, tum vel ipsa lex charitatis, & ratio postulat, ut ad hos curandos prima Confessarii cura se extendat. Tertium est, ut, quemadmodum Medicus non tantùm ipsos morbos, sed etiam morborum occasiones, causas, & reliquias seu radices auferre studet; ita & Confessarius, non tantùm contentus sit, ut à peccatis Pænitentem absolvat, sed

sed etiam habitus vitiosos, passiones inordinatas, & occasiones peccandi extrinsecas tollere conetur; hoc enim est, quod DEVS per Jeremiam jam olim c. 5. indicavit dicens: *Eccc constitui te hodie loco meo, ut evellas* (peccata scilicet ex anima Pœnitentis per Sacramentalem absolutionem) *& destruas* (habitus videlicet vitiosos & consuetudines per frequentem peccatorum repetitionem contractas) *& disperdas* (passiones & inclinationes inordinatas, quæ sunt quasi radices & reliquiae peccatorum) *& dissipas* (occasionem videlicet extrinsecas, proximas præcipuè, à quibus Pœnitens ad lapsum impellitur, & in antiquam miseriam protrahitur. Quartum est, ut inter ipsas etiam Personas curandas Ordinem charitatis, & necessitatis servet, utque primùm succurrat, quibus magis sive charitatis, sive necessitatis titulo obstringitur; nam, ut sapienter S. Augustinus de spir. & lit. ait: *Omnes homines a te diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi, quasi quadam sorte iunguntur.*

Qu. 7. *Quid circa Mediorum electionem observandum sit?* R. quatuor itidem observanda. Primum est, ut in genere bene cognoscat medicinas, quæ pro variorum morborum curatione adhiberi possunt. Quemadmodum autem Medici duplicis potissimum generis medicinis utuntur, lenibus scilicet, & amaris; ita spiritualis quoque Medicus seu Confessarius similia media pro exigentia morborum, & Personarum eligere debet. Inter lenia remedia pro eiusmodi Personis plerumque sequentia reputantur. 1. *Crebra ad DEVM seu spiritalis seu oratio*: quibus liberari petat ab inveterato suo morbo, & servitute tam crudeli ac periculosa Diaboli; ut enim olim Israelitas gementes, atque à captivitate sua liberari cupientes exaudivit tandem, & Moysen, qui eosdem eriperet, misit, Exod. 2. & 3. ita iis quoque, qui sub captivitate Diaboli gravissima opera (scilicet peccatorum gravium) imperantis suspirant, atque ad DEVM sincero affectu, & liberationis obtinendæ desiderio vociferantur, mittet DEVS Confessarium qui eosdem à tam molesta servitute educat. Et hoc videlicet Servatorem nostrum jam olim apud S. Matthæum c. 17. promississe P. Ludovicus de Ponte existimat, dum dixit: *Si ha-*
bueritis

fuerit fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi
 hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis: Et ite-
 rum apud S. Lucam c. 17. Si dixeritis huic arbori moro: era-
 dicare & transplantare in mare, obediet vobis. Quasi dice-
 ret: Et si peccata vestra quasi mons magnus moveri & deijci
 non posse videantur; aut sint arbori profundè radicatae simi-
 les, quæ non nisi labore maximo evelli potest, non difficulter
 tamen utrumque obtinebitis, si gratiam istam per ferventem
 & constantem orationem à me petiveritis. Secundum est
 S. Communionis & Confessionis frequens usus: quod, ut alibi
 dictum est, plerique Confessarii contra vitia quidem omnia,
 sed carnis præcipuè efficacissimum esse medium judicant;
 hinc S. Bernardus de Evchar. in l. 1. de pœn. Domini discer-
 tens, duo, inquit, in nobis hoc Sacramentum operatur, ut &
 sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat,
 omnino consensum. Si quis vestrum non tam saepe modo tam
 acerbos sentit iracundia motus, invidia, aut luxuria, aut cete-
 rorum huiusmodi, gratius agat corpori aut sanguini Domini,
 quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. Nimirum sicut
 adversus morbum caducum censetur præsens remedium, si
 sanguis humanus ab ægro hauriatur; ita multò magis simi-
 les vires pro relapsu in peccatum habebit sanctissimus Christi
 Sanguis per Sacramentorum usum pium animæ applicatus;
 de hoc enim jam olim exhibat virtus, & sanabat omnes. Ter-
 tium est Certorum Sanctorum in Patronos electio & invocatio
 devota; si enim hi tam promptos se exhibuerunt hactenus ad
 morbos corporales depellendos, uti passim in templis eorum
 honori consecratis suspenso anathemata testantur; quanto
 magis suum auxilium non negabunt, si hoc pro spiritualium
 morborum depulsione exigatur, eumque in finem à vicio, cui
 Pœnitens præcipuè subjectus est, abstinencia saltem aliquan-
 to tempore suadeatur; sic Eremitam quendam Latroni cui-
 piam, ut neminem die Sabbathi occideret, ad B. Virginis ho-
 norem; alium alteri, ut jejunaret illo die; alium cuidam, ut
 unicam tantum salutationem ad ejusdem DEIPARÆ hono-
 rem recitaret; S. Bernardum denique inveterato cuiquam
 Peccatori, ut primo triduo ad honorem SS. Trinitatis, quarto
 ad honorem Christi Crucifixi abstineret, persuasisse, & omnes
 ope dictorum Sanctorum à pessima sua peccandi consuetudine
 felici-

feliciter liberatos esse, varii Scriptores testantur. Quartum est, ut *miserericordia erga Pauperes*, specialiter erga Defunctos commendetur; sic enim jam olim etiam Daniel Nabuchodonosori suaserat dicens: *Peccata tua elemosynis retine, & iniquitates tuas misericordis Pauperum: forsu an ignoscet delictis tuis.* Certè misericordiam animabus purgantibus præstitam, maximè per indulgentiarum menstruarum applicationem eâ intentione, ut prædictæ animæ pro offerentis salute & conversione DEO in cælos receptæ deprecantur; plurimum ad hunc finem profuisse, frequenti experientia comprobatum est. Quintum est, ut *Examinis particularis usus*, aut si Pœnitens ad hoc capiendum minùs aptus videtur, saltem contritionis & examinis nocturni exercitium commendetur; aut aspectus Crucis cum hoc vel simili cogitatione, quasi Christus è cruce pëndens diceret: Fili mi, nondum me vulnerasti satis peccatis tuis? Parce, quæso, Fili mi, parce Patri, parce Redemptori tuo. Vel: Ecce Fili mi, expando brachia mea paratus amplecti te, & tu Parentis ac Servatoris tui amplexum recusabis? Vel suadeatur, ut eliciat actum fidei contritioni mixtum dicendo: O mi JESU, credo, quòd quondam me de peccatis omnibus coram toto orbe judicabis. Ah miserere mei, Domine, & propitius esto mihi maximo Peccatori. Vel præcipiatur, ut, si potest, has strophas per aliquot dies quotidie semel ore & animo volvat: *Iudex ergo cum sedebit, quidquid latet, apparebit, nil inultum remanebit. Quis sum miser tunc dicturus, quem Patronum rogaturus, cum visustus sit securus?* Sextum est, ut, si legere sciat Pœnitens, lectio ei quotidiana de æternitate, novissimis, aut aliâ quâpiam simili materiâ per aliquod tempus peragenda præscribatur; etsi enim talis lectio unius tantum sæpe sit folii, comperta tamen est, miram habuisse efficaciam, cum libri hî sint velut muti Concionatores, qui, uti minore verecundia & strepitu, ita majore plerumque fructu etiam audiuntur. Atque hæc quidem & similia media meritò inter lenia numerantur, quia facili plerumque conatu, & absque speciali difficultate adhibentur. Inter acriora verò sequentia ferè numerantur 1. Afflictiones corporis, puta jejunia, cilicia, flagellationes, & similia, quæ, uti sectioni vel ultioni in corporali cura interdum adhiberi solitæ æquiparantur; ita etiam

prudenter & cautè, ut illæ, usurpari debent. 2. *Territationes*: quæ quidem amaro potui, aut alteri simili medicinæ similes sunt. De quibus adhibendis sic olim Confessarios instruxit S. Franciscus Xaverius, uti vit. l. 4. c. 23. videre est. Alia, in- quiebat, ratio tenenda est adversus diutinis flagitiis sceleribusque implicitos. Donec confitens delicta omnia evomisset, inter fiduciam, metumque hæsitanti animos facerent divinæ clementiæ, misericordiæque commemoratione, nominatimque proferrent homines nefandis sceleribus infames olim in gratiam DEI receptos, in quorum numerum ipse quoque venire possit, si pari ingenuitate ac dolore sua confiteatur peccata. Ad ultimū perspectis omnibus conscientiæ vulneribus, eorum gravitatem ac turpitudinem acriter ostenderent, fluctuantemque animum impendenti Numinis irâ, suppliciiisq; in homines consceleratos divinitus expetitis territando, ad odium, dolorémque compellerent, peccatorum absolutione etiam, si res poscat, in aliud tempus dilata. Obstinati verò animis non modò æterna Inferorum supplicia, sed etiam pœnas in hac vita ab Hominibus facinorosis exactas proponi volebat, nominatimque notos aliquot appellari, qui sua demum scelera gravibus & atrocibus luerint suppliciis ut documento sui similibus forent. Ac se usu doctum ajebat, tales homines longè plus præsentibus corporum, fortunarumque detrimentis commoveri, quàm futuris animorum cruciatibus, qui procul abesse videntur. Hucusque S. Franciscus Xaverius; quibus tamen saluberrimis monitis rectè additur illud Ludovici de Ponte to. 4. de perfect. tr. 4. c. 10. n. 6. quòd Confessarij ita debent duris corde metum injicere, eosq; ter- rere, ut tamen semper etiam invitent ad spem veniæ consequendæ, nisi ipsi velint sibi deesse; quemadmodum fecit Pro- pheta Daniel, cum Nabuchodonosori Regi supplicium & pœ- nam à DEO infligendam proposuit, nam statim etiam elec- mosynam illi suavit, quâ peccata sua redimeret. 3. *Corre- ptiones*: pro quibus melius intelligendis, bene notandum est ex eodem Ludovico de Ponte l. c. in principio capitis, hæc tria officia *exhortari, corripere, reprehendere*, etsi idem signi- ficare, & involvere videantur, revera tamen non parùm di- versa esse, nam *exhortari* est animum addere in executionem illius, quod intenditur, adductis rationibus ad persuadendum

Instr. V.

K

idoneis:

idoneis : *corripere* est monere de aliqua culpa, ut emendetur ; *reprehendere* autem est deformitatem peccatorum proponere, cum aliquo modo asperitatis aut minis ad pudorem & confusionem excitandam ob ea, quæ sunt admitta ; & timorem, ne in eadem recidatur. Et hoc est proprium habentium aliquam auctoritatem supra eum, quem reprehendunt ; nam Subditus bene potest (ut S. Thomas 2. q. 33. a. 4. docet) corripere suum Prælatum, monendo cum reverentia & charitate de defectu ab eo admisso ; sed, cum non possit illum punire, idè non proprie potest illum reprehendere. Hoc notato rectè inter varia remedia, quæ Confessarius erga ejusmodi Pœnitentes adhibere debet, etiam correptio numeratur, quia utique ad illum spectat emendationem Pœnitentis procurare, atque adè non absolvere tantùm à peccatis, sed etiam periculum, in quo versatur, nisi ea maturè emendet, & ipsas etiam radices eorum evellat, ostendere. 4. *Reprehensiones* : quæ ad Confessarium, ut qui est verè in hoc Tribunali Superior Pœnitentis ; propriè spectat, utilitèrque adhibetur interdum, modò sequentes regulæ à citato Ludovico de Ponte l. c. & aliis sapientes præscriptæ observentur, ut scilicet semper *Personarum*, quæ reprehendendæ sunt : *Peccatorum*, propter quæ hoc remedium adhibetur : *modi & temporis*, quo usurpandæ sunt, ratio habeatur. Nam *Personas* quidem quod attinet, non omnes præmiscuè reprehendendæ sunt, etiam si peccatis gravibus onustæ deprehendantur ; non enim primò decet Seniores magnamque habentes auctoritatem, sive Ecclesiasticam, sive Sæcularem reprehendere, uti monuit S. Paulus 1. Tim. 5, dicens : *Seniorem ne increparveris, sed obsecra ut Patrem*. Si enim cum hac reverentia agas, magis eum incitabis ad suum peccatum deserendum. Idèmq; confirmat S. Leo epist. 28. dum monet, ut, cum *Sacerdotes peccant, plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm severitas : plus cohortatio, quàm comminatio : plus charitas, quàm potestas : nisi delicti atrocitas maiorem exigeret sententiam*.

Secundò nec ij, qui magnæ signa contritionis, & ferventis propositi emendationis præferunt, duriùs increpandi sunt, cum finis, qui per ejusmodi reprehensiones intenditur, jam obtentus videatur. Hinc ipse quoque Christus S. Magdalenam licet grandem Peccatricem non graviter increpuit, rec-

Patet ille Evangelicus Filium suum prodigium redeuntem durius allocutus est, sed potius cecidit super collum, & osculatus est, quia utraque hæc Persona, extraordinaria Pœnitentiæ indicia præferebat. Sed nec tertiò iis, qui timidioris & pusillanimis conscientia sunt, aut etiam ingenij exulcerati, hoc reprehensionis remedium adhibendum est, ut, sicut de Servatore Isaias c. 24. prædixit, lignum quassatum non conterat, & lignum fumigans non extinguat; sed potius benigna adhortatione, animique charitate & condolentiâ pleni significatione erigat, & conservet. Soli vero Pœnitentes durioris naturæ, & exiguæ capacitatis hoc medio curandi sunt, ut, qui talem stylum duritiei ac pertinaciæ ipsorum proportionatum magis sapiant.

Jam verò *Peccata*, ob quæ Pœnitens reprehendus est, quod attinet, rectè monet Ludovicus de Ponte l. c. n. 7. si plura afferat Pœnitens, eum non de omnibus in confuso, nec de singulis in particulari increpandum esse, sed duo aut tria graviora accipienda, eaque gravius reprehendenda; nam doctrina quidem universalis parùm utilis, experienciâ ipsâ docente, comperta est; si verò ad particularia multa descendatur, nimis gravis accidit, applicata autem de ea, quæ sunt magis noxia, fructuosior plerumque existit. *Modus* quoque reprehendendi ordinariè parcus potius, quàm prolixus; benignus, quàm severus; Patris potius, quàm Judicis affectum præferens sit, oportet, ut jam olim sapienter monuit S. Gregorius Nazianzenus orat. 26. dicens: *Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idque leniter & humanè; non ut hostis, neque ut durus & rigidus Medicus. Christi Discipulus es mitis & benigni, qui nostras infirmitates pertulit. Tempus* denique in reprehensione attendendum esse, jam supra ex S. Francisci Xaverij sensu ostensum est, ut scilicet reprehensio, ubi opus fuerit, non in principio confessionis, aut, dum Pœnitens peccata narrare pergit, adhibeatur, sed in finem differatur, ne alioqui Pœnitens timore gravioris reprehensionis absterritus reliqua peccata silentio supprimat. Ob quam ipsam causam rectè monet Ludovicus de Ponte, etiam à signis admirationis, indignationis, aut tristitiæ, aut suspirijs sollicitè abstinendum, sed potius animandum esse, ut reliqua vulpera appetat, dicendumque cum Josue. Jos. 7. *Elimi, da gloriam*

DEO, & confitendo, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas. Atque hoc videlicet primum est documentum circa medicorum electionem observandum, quod tantò fusiùs propositum est, quantò majorem spondet utilitatem, si ritè observetur. Alterum est, ut non omnes morbos & vulnera eadem medicinâ & modo curare satagat, quia, sicut inter vulnera, quæ tolerabilia sunt, lenioribus cedunt medicamentis; quæ verò putrefacta sunt, & incurabilia, quæque reliquum corpus depascuntur, acumine ferri; flammâque indigent; sic & inter peccata erga quædam prolixiore cohortatione est opus, cætera durioribus sunt reprehensionibus castiganda. Unde, teste S. Chrysostomo serm. in eos, qui habent eundem spiritum fidei: *Medicus sæpenumero multa contraria facit, sed non contrariâ ratione, in eadem & conveniente. Sape enim urit, & non urit: secat, & non secat idem corpus: nunc amara, nunc dulcia pharmaca ad libendum offert. Et facit idem contraria, sed simili ratione atque eadem; unum enim finem spectat, nimirum agrisanitatem.* Tertium documentum est, ut, quamdiu opus non fuerit, suaviora potiùs media, quàm acerba eligat; ut S. Laurentius Justinianus sapienter monuit dicens: *Christo mandante Frater blandè & dulcitur corripendus est; nam in delictibus potiùs, quàm duris sermonibus compungitur animus delinquentis.* Quartum denique documentum est, ut, ubi leniora nihil proficiunt, acrioribus non parcat, juxta S. Isidori l. 3. de summo bono c. 46. consilium dicentis: *Qui blando verbo castigatus non corrigitur, acriùs necesse est, arguatur: cum dolores sunt abscindenda, quæ leniter sanari non possunt.*

Qu. 8. Quid circa applicationem medicorum sit observandum? Resp. sequentia ferè. Ut cum charitate atque condolentia medicinam correptionis vel reprehensionis applicet, eumque in finem saluberrimam S. Augustini tr. 7. in Epist. S. Joannis sententiam in mente semper habeat: *Semel breve præceptum tibi præcipitur: Dilige, & fac, quod vis. Si ve taceas, dilectione taceas: si ve clames, dilectione clames: si ve emendes, dilectione emendes: si ve parcas, dilectione parcas: radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice non bonum existere.* 2. Ut non violenter, sed paulatim & moderatè media applicentur: ita S. Chrysostomus epist. 5. ad Theod. monuit dicens: *Quemadmodum optimi Medici eos, qui difficili, diuturnoque morbo*

decumbunt, variis medicinis ad sanitatem restitunt, non semper utentes arte (interim enim non nihil cupientibus diversa obsecundant) sic DEVS corruptos non magna vi impellit ad virtutem, sed mansuetè & sensim promovet; imò plerumque portat ovem inventam, non percussam, ne immanior scissura fiat, aut error productior. Eleganter in eundem finem S. Gregorius 3. past. c. 26. admonendi, inquit, sunt Pastores, ut considerent, quòd fructu: is recentibus necdum solidatis, si rigorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur. 3. Ut pudori consulat Infirmi, non publicè revelando vulnus, quod occultè curari potest, id est, defectus suorum Pœnitentium non publicè propalando, nec publicè corrigendo; nam, ut rectè S. Augustinus super c. 18. Matth. ait, qua coram omnibus peccantur, coram omnibus corripienda sunt, ut omnes timeant: qui autem secretò peccavit in te, secretò corripe; alioqui si tu solus nòsti, & eum vis coram aliis arguere, non es corrector, sed proditor. 4. Ut, si fortè Pœnitentes contra applicationem talium mediorum obmurmurent, absterri se non sinat, sed potiùs memor sit doctrinæ à S. Augustino in epist. ad Bonifacium datæ, dum ait: Molestus est Medicus furenti phrenetico, & Pater indisciplinato Filio; ille ligando, hic cadendo, sed ambo diligendo. Si autem istos negligant, & perire permittant, ista potius falsa mansuetudo crudelis est. Extat quoque egregium hac de re præceptum P. Caspari Barzæo à S. Francisco Xaverio datum, ut cap. ult. l. 4. vit. videre est: Si tibi, inquit, pia ministeria obeunti, ut fit, obrectent improbi, de illorum vocibus non magnopere laborabis: ne quis animadvertat, te Homuncionum vocibus à DEI obsequio absterri, id verò laborabis. Nam quicumque talibus in rebus falsam infamiam, sermonesque hominum extimescunt, mundi veriùs, quàm Christi milites sunt, utpote quos humanus respectus magis moveat, quàm divinus.

Qu. 9. Quid circa tempus in applicatione mediorum observandum sit? Resp. quatuor præcipuè monita esse observanda. 1. Ut Medicinam & curationem non diu nimis differat, juxta notum illud distichon:

Principiis obsta, serò medicina paratur,

Cùm mala per longas invaluere vias:

Noli dicere (inquit S. Chryostomus serm. in eos, qui Pascha jejnant) unus est, sed unus contemptus morbum transmittet ad ceteros.

cateros. Medicum enim fermentum totam massam corrumpit; atque hoc est, quod omnia perdit, ac destruit, quod pusillos aspernemur: propterea magna sunt ulcera, quemadmodum fere fit, ut magna fiant exigua, si conveniens cura sit adhibita. 2. Ut non incipiat curationem, donec morbum bene cognoverit, & ipse etiam aeger audiatur. Sic S. Isidorus Pelusiotal. 3. epist. 8. monet: Eos, inquit, qui calamitates suas commemorare cupiunt, blandè ac suaviter admittere oportet, ac postquam illi per huiusmodi sermonem dolore levati fuerint, tum deum eam, quam par est, medicinam adhibere; nam si confessio illis ora obstruamus, tum inhumanorum Hominum estimationem colligemus, tum remedium imbecillum atque invalidum reddemus, nimirum ipsam doloris flammam illud repellente. 3. Ut certa curationis tempora diligenter observet, nam & Medicus, teste S. Ambrosio in ps. 93. non statim adhibet medicamentum languori; si dolor feruet, fomenta adhibet, ut mitescat dolor, si febris exstuat, remedii tempus expectat. Sed & S. Chrysostomus l. 7. epist. 112. Medici, ait, qui curam gerunt de corpore; quadam adiutoria recenti adhuc concoctione formata indigenti non offerunt, sed maceranda temporibus derelinquunt; nam si immaturè quis dederit, dubium non est, quin fiat causa periculi res salutis. 4. Ut non perpetuò medicinam applicet, sed prudenter curam ad tempus omittat: nam, teste S. Bernardo ep. 25. Censura nunquam quidem remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit. Sed & Cicero l. 2. offic. agnovit, non modo liberale esse, paululum de jure suo cedere, sed interdum etiam fructuosum. Hinc S. Franciscus Xaverius P. Caspari Barzæo inter cætera etiam hoc monitum dedit l. 4. c. 23. vit. Confessionem non continuò sequetur absolutio, sed bi-duum, triduūve dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione preparandis, ut interim animorum maculas lacrymis ac voluntariis eluant pœnis. Si quid cui debent, restituant; simultatibus, si quas habent, depositis, redeant cum inimicis in gratiam, à libidinis consuetudine, cæterisque, quibus implicati sunt, flagitiis expellantur. Hac omnia absolutionem præcedunt rectius, quàm sequuntur. Namque istiusmodi Homines in ipsa confessione promittunt, se cuncta facturos: post absolutionem fidei data immemores, promissa irrita caderi patiuntur. Præter elabi-

elaborandum est, ut hi absolvendi representent, quod prestare debent absoluti.

Qu. 10. Quid post curationem susceptam faciendum sit Confessario? Resp. 1. Ante omnia Confessarius super omnes suas actiones in curatione animarum sibi commissarum susceptas se reflectat, & Medicorum more examinet, quem effectum habuerint, ut sciat, quæ multum aut parum efficaciam habeant in Ordine ad hoc vel illud vitium curandum. 2. Diligenter caveat, ne aut labore in curatione suscepto defatigatum se ostendat, aut certum divinæ misericordiam, justitiæque tempus præscribat, ne, sicut in hoc Presbyteros Bethuliam imitaretur dicentes: *Quinque dies expectemus à Domino misericordiam: si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, irademus civitatem:* ita & audiat cum iisdem: *Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius, qui iram excitet.* Judith. 8. Potius ergo Cultorem vineæ imitetur, qui, cum Dominus vineæ ficulneam sterilem reperiens, succidi iussisset, dixit ad illum: *Dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercorea; & si quidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam,* Quam doctrinam egregie iterum observavit, & sociis suis commendavit S. Franciscus Xaverius, dum, ut l. 4. vir. c. 23. refertur, eosdem sedulo monuit, ut in novis Christianis excolendis non fortius, quam perseverantius, eorum perferrent vitia, infirmitatem sustinerent, frugemque sementis factæ, laborumque, quamvis seræ spei, fructum velut boni Christi Domini Agricola expectarent, haud ignari eos, qui seminant in lacrymis, in exultatione messuros. Quod si talibus initio Christianis non uterentur, quales expeterent, ita se cum ijs gererent, ut cum improbis Filijs boni Parentes, Deique benignitate freti, qui Hominum mentes suo demum tempore ad bonam perducit frugem, non diffiderent aliquando tales fore, quales optarent. Proinde nunquam desinerent, illos omni studio colere, præsertim cum DEUS communis omnium Pater, quamvis læsus à nobis, benignè tamen omnibus facere non desistat. 3. Ut non turbetur, si per media nihil omnino se profecisse advertat, sed potius, uti S. Ignatius Loiola. teste Ribadeneira l. 5. vir. c. 11. suavisseretur, SS.

Angelos imitetur, qui, quos à DEO sibi commissos habent monent, quoad possunt, defendunt, regunt, urgent, ad bonum juvant; sed si illi voluntatis libertate abutantur, & inobsequentes & obstinati sint, propterea tamen nullo anguntur mœrore, nullâ afficiuntur molestiâ dicentes: *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Ad cuius moniti confirmationem non parùm proderit memorabilem S. Bernardi sententiam l. 4. de compunct. c. 7. bene ponderâsse: *Noli diffidere, inquit, curam exigeris, non curationem. Dignique audisti: curam illius habe, & non cura, vel sana illum. Verum dixit quidam: Non est in Medico semper, relevetur ut ager. At melius tibi propro de tuis. Paulus loquitur: plus omnibus laboravi, non, aut, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi: verbum insipientis religiosissimè vitans. Aliàs autem noverat Homo, quem docuit DEVS, quia unusquisque secundùm laborem accipiet, non secundùm proventum. Ita, quaeso, & tu fac, quod tuum est; nam DEVS, quod suum est, faciet: satis absque tua sollicitudine & anxietate curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas exple vili partes. Sanè incrementum, ubi voluerit, dabit DEVS, non tu. Vbi fortè noluerit, tibi deperibit nihil, dicente Scriptura Sap. 10. Reddet DEVS mercedem laborum Sanctorum suorum. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. Quod ipsum etiam B. Virgo quondam S. Birgittæ sequentibus verbis insinuat: *Amici DEI non debent attendari in servitio DEI, sed laborare, ut homo malus fiat melior, & homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicumque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuntium, quod IESVS Christus esset verè Filius DEI, & faciendo conaretur, quantum posset, ad aliorum conversionem, licet nulli vel pauci converterentur, nihilominus eandem mercedem obtineret, ac si omnes converterentur. Sicut per exemplum dico tibi: Si duo mercenarii ex præscripto Domini foderent mercedem durissimum, & alius inveniret aurum electum, alius vero nihil, isti propter laborem & voluntatem digni essent aequali mercede. Sed & S. Chrysostomus alia similitudine id ipsum conc. 1. de Lazaro declarans ait: *Vtinam oratio nostra aliquando profectus afferat! Quod si post longam admonitionem in istis vitiis perseveraverint, ne sic quidem nos desistemus illis, quod relictum est, consulere; quandoquidem & aquarum vena, etsi nullus veniat, aquatum, manant tamen; & fontes, quamvis hauriant***

viat nemo, tamen scatebras emittunt: & omnes, et si nemo bibat, nihil secius fluunt: sic oportet & illum, qui concionatur (aut alio modo hortatur) quamvis nullus auscultet, tamen prestare, quid quid in ipso situm est.

CAPUT VII.

QUID CIRCA CONFESIONEM PERSONARUM pie vivere violentium sit observandum?

Q. I. AN Confessarii Officium sit, Penitentes suos non tantum à peccatis absolvere, sed etiam ad pie & Christianè vivendum incitare, & iuvare? R. affirmativè: sic enim colligitur ex triplici officio, quod ei incumbit, scilicet *Judicis*, ratione cujus spectat ad Confessarium, Penitentem à peccatis, & censuris, si potest, absolvere: *Medici*, ratione cujus ad ipsum pertinet, varia Media pro peccatis deinceps fugiendis præscribere; *Doctoris*, ratione cujus ipsi incumbit, Penitentes suos in iis, quæ ad eorum statum & perfectionem pertinent, instruere, & erudire. Hinc jam olim DEUS Jeremiam ad curandas animas missurus, non solum eidem imperavit, ut eveleret, & destrueret, dissiparet, & perderet; sed etiam, ut ædificaret, & plantaret, præcepit. Quid autem est ædificare, nisi juvare, ut Christiani non primam duntaxat justitiæ Christianæ partem, quæ hortatur ad declinandum malum, sed etiam alteram, quæ jubet facere bonum, impleant. Id quod S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. clariùs indicavit, dum dixit: *Medici animarum scopus est, anima pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoque dare, divinamque imaginem aut manentem conservare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum revocare, Christumque per Spiritum sanctum in pectoris domicilium admittere; atque, ut summatim dicam, eum, qui Superioris agminis sit, DEVM efficere, & supernam ei beatitudinem comparare. Huc Magistra lex tendit, huc exinanita Deitas, huc assumpta caro.*

Qu. 2. Quid potissimum docere debeat suos Penitentes Confessarius? Resp. generatim loquendo, omnem illius Instructionem eò tendere debere, ut satisfaciant triplici officio, quod cui vis à DEO commissum est, nempe 1. *Officio Hominis quæ talis*: ad quod spectat, ut secundum naturam suam & rationis

dictamen vivat, atque adeo naturalia præcepta à DEO in Catalogo præscripta studiosè observet. *Si enim, ut bene monet pius Asceta l. 3. de imit. Christi c. 53. semetipsum perfectè vincit, cetera faciliùs subiugabit. Perfecta victoria est, de semetipso triumphare; qui enim semetipsum subiectum tenet, ut sensu- lita rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè Victor est sui, & Dominus mundi.* 2. *Officio Hominis Christiani;* quod in eo consistit, juxta sanctum Cyprianum de 12. abus. hæc. *Christo, prout valet, moribus coaquetur.* Specialiter verò observet illud, quod Christus Luc. 9. ad omnes dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me;* sic enim humilians seipsum cum Christo, & factus obediens usque ad mortem Crucis, accipiet nomen super omne nomen, ut scilicet verus Christianus, id est, membrum Ecclesiæ, cuius caput Christus est, esse & dicere mereatur. 3. *Officio Hominis in certo Statu constituti;* cum enim in Ecclesia perinde, ut in alia Republica vel domo, diversa reperiantur officia & Status à DEO cuilibet assignati, fidelem DEI servum decet, ut diligenter inquiret, in primis quem ad Statum à DEO sit vocatus: deinde quid Status ille requirat: & quæ requiri cognoverit, studiosè exequatur. Hæc enim tria si præstiterit, nihil est, quod ab eo exigere ulterius queat. Quid autem in diversis Statibus requiratur, mox infra q. 4. percurrendo varios Status dicetur.

Qu. 3. *Quid in specie commendare debeat Confessarius cuiusvis Homini piè & Christianè vivere volenti, maximè, si primam vitam suam in peccatis consumpserit?* Resp. Ea quinque capita seu doctrinas potissimùm observandas videri, quas P. Petrus Faber ejusmodi Personis præscribere solebat: videlicet 1. Ut ante omnia recogitent in amaritudine animæ suæ cunctos exactæ ætatis annos, expientque generali vel alia sincera confessione apud peritum, prudentemque Sacerdotem. Quod quò melius fiet, eò plus conducet ad novæ vitæ rationem, ut vinum novum mittatur in utres novos. 2. Ut singulis diebus Vesperti ante quietem tempus aliquod conscientiæ recognoscendæ tribuant; ubi non modo diei commissa ac prætermissa inquirent, seq; coram Deo reprehendant. ac emendationem in diem insequentem proponant; sed etiam desiderium excipient in calle Justitiæ progrediendi, novas assumendo, vel in-

riores pietatis, vel exteriores exercitationes; aut si tam multæ susceptæ sint, ut multiplicari minimè oporteat, in usitatis ob- eundis instaurando spiritum & augendo. Sub hæc componi negotia & digeri poterunt, quæ postredie sive divina sive hu- mana sunt tractaturi. 3. Ut statuatur tempus, quo sacrosan- ctum Altaris Sacramentum confessione præmissa suscipiatur; id quod cum Confessarij circumstantias Personæ, Statûs, & occasionis, considerantis consilio fieri oportet. 4. Ut certa quotidie pietatis munia, sive ad corpus, sive ad animam spe- ctantia peragantur sicutque Orationi tempus tribuatur. 5. Ut memoriæ firmiter imprimantur, & quasi ad manum sem- per habeantur decreta quædam Philosophiæ Evangelicæ, ex quibus consilia & actiones cunctæ regantur, ut, enitendum esse cuique ad sui victoriam juxta notam illam gnomen: *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris*: l. i. de imit. Christi c. 25. Conservandam novissimorum memoriam juxta consilium Siracidis Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis me- morare novissima, & in æternum non peccabis*. Tollendam quotidie crucem juxta monitum Christi, Luc. 9. *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me*. Esuriendum, sitiendumque Justitiam, id est, excitandam vir- tutis aviditatem juxta ejusdem Christi doctrinam Matt. 5. di- centis: *Beati, qui esuriunt & sitiunt Justitiam, quoniam satu- rabuntur*. Gaudendum, cum variæ in nos tentationes inci- derint juxta illud S. Jacobi c. 1. monitum: *Omne gaudium existimate, Fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei vestra patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet*. Retrò nunquam respicien- dum, quia juxta Christi effatum, Luc. 9. *Nemo manum mit- tens ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno DEI*. Quod postremum monitum circa ejusmodi principia Christianæ Philolophiæ animo volvenda, ipse P. Faber inæstimabilis momenti dicebat esse.

Qu. *Quid singularibus Statibus, & imprimis Magistratibus & iudicibus commendare debeat Confessarius?* Resp. sequentia ferè commendanda. 1. Ut bene ponderent, quale officium sibi sit commissum, ideòque illa Josaphati verba sibi appro- prient. 2. Paralip. c. 19. *Videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcunque indicaveritis, in vos*

in vos redundabit. 2. Ut, quemadmodum idem Rex monuit, sit timor Domini cum ipsis, & cum diligentia cuncta faciant. 3. Ut sedulo caveant pericula, quibus officium ipsorum subiectum est, videlicet iniustitiam, respectum Personarum, & acceptationem munerum, non enim, ut idem Rex subdit, est apud Dominum DEUM nostrum iniquitas, nec Personarum acceptio, nec cupido munerum. Quæ omnia ut accuratius observent, proderit illis terribilem exhortationem Salomonis Sap. 6. in memoriam revocare, ubi ait: *Præbe aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in iustis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis Ministri Regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem Iustitiæ, neque secundum voluntatem DEI ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his, qui præsumunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur; non enim subtrahet Personam cuiusquam DEVS, nisi verebitur magnitudinem cuiusquam.*

Qu. 5. *Quid Patribus, & Matribus Familias specialiter commendare debeat Confessarius?* Resp. tria præcipuè. 1. *Liberalem sustentationem;* ut dicere quodammodo possint suis Domesticis, quod Christus Luc. 22. Discipulis suis dixit: *Vos estis, qui permansistis mecum, & ego dispono vobis, ut edatis, & bibatis super mensam meam &c.* sed & ipsi subditi vicissim de iis usurpare possint illud S. Davidis ps. 22. *Dominus regis mei, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocabit.* 2. *Christianam Institutionem;* ut scilicet in pietate, bonis artibus, & moribus decentibus instituantur, ideòque ad hæc omnia addiscenda occasio illis, mediàque subministrentur: Hic enim locum propriè habet illa S. Pauli comminatio 1. Tim. 5. *Si quis autem suorum & Domesticorum maxime curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 3. *Paternam correctionem,* juxta monitum Salomonis Eccl. 7. *Filii tibi sunt? erubescito illos, & curva illos à pueritia illorum.* Rectè tamen paternam exigitur, quæ suavitatem seu lenitatem cum rigore permixtam habet, sic, ut, quemadmodum S. Gregorius l. 19. moral. monet, *regat disciplina vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornent vigorem; & sic alterum commendetur ex altero, ut nec*

vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. Tunc enim locum
habet apud Subditos ea S. Bernardi exclamatio epist. 1. O
bona Mater Charitas, quae, siue fo veat infirmos, siue exerceat
profectos, siue arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut
Filios diligit universos. Cum te arguit, mitis est: cum blanditur,
simplex est; pie solet se vire, sine dolore mulcere, patienter novit
irasci, humiliter indignari.

Qu. 6. Quid Maritus commendare debeat Confessarius? Resp.
sequencia præcipue. 1. Dilectionem sinceram uxoris: sic enim
Apostolus Eph. 5. monet: Viri, diligite uxores vestras, sicut
& Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut il-
lam sanctificaret. 2. Liberalem sustentationem: nam, ut
idem Apostolus ait: Viri debent diligere uxores suas, ut corpora
sua; nemo enim carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet
tam, sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis
eius, de carne eius, & de ossibus eius. 3. Debitam honoratio-
nem: uti S. Petrus 1. c. 3. monuit dicens: Viri similiter cohabi-
tantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri
impartientes honorem, tanquam & coheredibus gratiae vita.
Et ideo Adamus jam olim Evam uxorem suam sociam voca-
vit dicens Gen. 3. Mulier, quam dedisti mihi sociam; ut indi-
caret, Uxorem à Marito non ut Ancillam, sed ut Sociam in
lecto, in mensa, & in honore tractari debere.

Qu. 7. Quid Vxoribus commendare specialiter debeat Confes-
sarius? R. 1. Concordem dilectionem erga Maritos: quâ & vi-
tia ipsorum patienter supportent (nam charitas omnia suffert,
omnia sustinet) onerâque communia in generandis, educan-
dis & sustentandis Liberis, aliisque Domesticis libenter par-
ticipent (hinc enim adiutorium vocavit DEUS Evam Gen. 2.
dicens: Faciamus ei adiutorium simile sibi.) 2. Timoratam
reverentiam: quoniam vir caput est mulieris, teste S. Paulo
Eph. 5. sicut Christus caput est Ecclesiae; constat autem, quan-
tam reverentiam Ecclesia Christo exhibeat. 3. Perfectam
subiectionem: sic enim iterum monet Apostolus dicens: Mu-
lieres subdita sint viris, sicut Domino, & sicut Ecclesia subiecta
est Christo.

Qu. 8. Quid Liberis singulariter commendare debeat Con-
fessarius? Resp. 1. Amorem ingenuum erga Parentes: quo agno-
scent, vitam, & omnia, quæ habent, post DEUM ipsi se debere,
atque

atque ad eò, ut gratos se exhibeant, studiosè caveant, quid quid
 ipsis displicere potest; omne autem, quod placere, recreare,
 & consolari illos queat, sedulo exequantur. 2. *Filialem re-
 verentiam*: quam DEUS toties & tantopere commendavit,
 speciatim verò in Decalogo Exod. 20. dum præcepit: *Honora
 Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longa vitus super terram.*
 Rationem verò hujus debiti rectè assignavit Tobius Senior,
 dum Tob. 4. dixit: *Honorem habebis matri tue omnibus diebus
 vitæ eius, memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passus
 sit propter te in utero suo.* 3. *Alacrem obedientiam*: uti S.
 Paulus Eph. 5. monuit dicens: *Filiis, obedite Parentibus vestris
 in Domino; hoc enim iustum est.*

Qu. 9. *Quid Famulis & Ancillis specialiter commendare de-
 beat Confessarius?* Resp. Ea ferè, quæ jam olim S. Paulus Eph. 5.
 illis commendaverat, videlicet 1. *Obedientiam perfectam*:
 quam his verbis indicavit: *Servi, obedite Dominis carnalibus
 cum timore & tremore.* 2. *Fidelitatem sinceram*: quam idem
 Apostolus insinuavit, dum ex simplicitate cordis eos obedire
 voluit. 3. *Alacritatem indefessam*: hanc enim indicant ver-
 ba illa: *non ad oculum servientes, sed ut servi Christi facientes
 voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate servientes.* Ut
 autem hæc tantò faciliùs præstent, efficacissimum illis me-
 dium offert, dum suadet, ut certò sibi persuadeant, ea oble-
 quia, quæ Dominis suis præstant, Christo se exhibere, & ab
 ipso se mercedem recepturos.

Qu. 10. *Quid Divitibus maximè commendare, debeat Con-
 fessarius?* Resp. ea præcipuè, quæ S. Paulus olim Timotheo 1.
 cap. 6. scripsit his verbis. 1. *Divitibus præcipe non sublimè ja-
 pere*: quia non propter divitias, sed propter earum bonum
 usum quisque commendandus est. 2. *Neque sperare in inveni-
 to divitiarum, sed in DEO vivo (qui præstat nobis omnia adven-
 dè ad faciendum)* siquidem ipse Matt. 6. dixit: *Quærite pri-
 mum Regnum DEI, & Iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur
 vobis.* 3. *Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile vitæ
 futurum, ut apprehendant veram vitam*; hæc enim solæ veræ
 divitiæ sunt, quas nec ærugo consumit, nec tinea demollit,
 nec fures effodiunt, & furantur.

Qu. 11. *Quid Opificibus, aliisve laboriosis Hominibus præ-*

tipue commendare debeat Confessarius? Resp. 1. Bonam intentionem ante opus: ut hac ratione solari se possint illis S. Pauli verbis. 1. Cor. 15. Itaque, Fratres mei dilecti stabiles estote, & immobiles, abundates in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis coram Domino. 2. Assiduitatem in ipso opere: juxta Siracidis c. 33. monitum: In omni opere tuo praeclens esto. 3. Iustitiam post opus: ut scilicet neminem defraudent, majus pretium aut salarium exigendo, quam iustitia permittat, sed semper in corde habeant verissimam Salomonis sententiam Sap. 8. Si quis Iustitiam diligit, labores huius magnam habent virtutem.

*Qu. 12. Quid Pauperibus precipue commendare debeat Confessarius? Resp. 1. Ut bene contenti sint suo Statu, atque ad eandem paupertatem suam, quam necessario patiuntur, etiam voluntate sua libera amplectantur, sicque verè Pauperibus spiritu annumerari mereantur. Quod ut tantò alacrius præstent, jubet illos considerare tum exemplum Christi, qui, cum esset dives, propter nos egenus factus est, teste S. Paulo 2. ad Cor. 8. tum sapientissimorum & sanctissimorum Virorum, qui sponte amplexi sunt paupertatem, ut essent similiores Filio DEI, & tamen frequenter vix per longas preces hanc gratiam obtinuerunt; tum curas & pericula, in quæ conijciunt divitiæ, & liberat paupertas; tum denique præmia, quæ voluntariè seu Spiritu pauperibus promisit DEUS, scilicet centuplum, regnum caelorum, & vitam æternam; ut adeò meritò applicare sibi possint verissimam illam S. Augustini s. 28. de verbis Domini sententiam: Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potius ditius invenire. Vis nôsse, quàm locuples sit? calum emit: Quibus thesauris conferrî possit, quod pauperibus videmus inultum? ut ad regnum caelorum veniret, dives possessione sua obtinere non potuit; nunc obtinet, ut contemptu perveniat. 2. Fiduciam in DEVM: cujus oculi respiciunt super Pauperem, teste S. David ps. 10. & cui derelictus est Pauper ps. 9. quidni ergo illam ejusdem Psalmistæ sententiam à S. Francisco suis Religiosis pro Viatico dari solitam sibi quoque applicent: *Laet a super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet?* aut illud etiam Christi ad S. Catharinam Senensem dictum: *Cogitatu de me; & ego cogitabo de te.* 3. Bonorum operum & virtutum, precipue humilitatis & patientiæ studium: nam ideo DEUS*

DEUS carere eos divitiis temporalibus voluit, ut spirituales & veras divitias bonorum operum, quas solas secum ex hac vita auferre, iisque æternum frui possunt, tantò majori sollicitudine compararent. Ex quibus præterea illud etiam commodi haurient, ut merito sperare possint sibi, dum tali modo regnum Dei & justitiam ejus quærunt, Deum etiam ea, quæ ad corporis necessariam sustentationem requiruntur, juxta promissionem suam Matth. 6 factam adjecturum. Certè *Divites eguerunt, & esurierunt*, teste Davide psal. 36. *inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Qu. 13. *Quid Senibus præcipuè commendare debeat Confessorius?* Resp. 1. Ut, quoniam juxta commune proverbium, Senibus mors in januis est, illam sibi Ezechia olim ab Isaia c. 38. dictam sententiam applicent: *Dispone domui tua, quia morieris.* atque adeò rationes suas per sinceram & frequentem contritionem ac confessionem, seriàmque penitentiam componant, ut ad easdem reddendas per mortem evocati intrepidè compareant. 2. Ut illam quoque vocem: *Eccu Sponsus venit, exite obviam ei.* Matt. 24. sibi dictam putent, ideòque maturè cum prudentibus virginibus lampades suas oleo bonorum operum, & præcipuè misericordiæ tam vivis, quàm defunctis exhibitæ instruere studeant. 3. Ut, cum eorum vita sit in Speculo posita, & facta eorum sint quasi perpetuum consilium & exemplum Juniorum, ita vivere studeant, ut nullam senectuti suæ maculam & execrationem conquirant, sed potiùs senectute sua digni appareant, ut olim Eleazar 2. Mach. 6. loquebatur, & cum S. Tobia Seniore reliquum vitæ suæ in gaudio consumere, & cum bono profectu timoris DEI in pace pergere queant.

Qu. 14. *Quid Viduis speciatim suadere debeat Confessorius?* Resp. quatuor illis præcipuè virtutes commendandas. 1. *Insignis vita honestatem & integritatem:* cum enim jam innuptæ sint, & ipsum Christum pro Sponso habeant, meritò juxta monitum S. Pauli 1. Cor. 7. ea ornamenta quærere debeant, per quæ ipsi magis placeant, ejusque amorem faciliùs sibi concilient. Hanc enim fortè ob causam etiam DEUS vitam ipsis eripuit, uti S. Melania agnovit, quæ, cum Maritum mortuum extulisset, DEUM laudavit, eique gratias egit, quod hoc impedimento ablato occasionem ei præbuisset, perfectius ipsi

ipſi ſerviendi. 2. *Conſtanſem ad DEVM fiduciam*: quem in finem proderit ipſis oſtendere, quantam curam ſemper Viduarum habuerit, & habiturum ſe promiſerit DEVS. Inprimis Exod. 22. dum dixit: *Vidua & Pupilla non nocebitis, ſi laſeritis eas; vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem earum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio.* Deinde Jerem. 49. ait: *Relinque pupillos tuos, ego faciam eos vivere, & Vidua tua in me ſperabunt.* Sed & S. David ps. 145. teſtatur, quòd Pupillum & Viduam fulcipiet; ideòque eum ps. 67. Patrem Orphanorum, & Judicem Viduarum vocat. 3. *Aſſiduum Orationis ſtudium*: ſic enim S. Paulus 1. Tim. 5. monuit dicens: *Qua verè vidua eſt & deſolata ſperet in DEVM, & inſer obſecrationibus & orationibus nocte & die.* Ita exemplo ſuo docuit Anna Prophetiſſa, de qua S. Lucas c. 2. teſtatur, quòd non diſceſſerit de templo, jejuniiſ & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. 4. *Prudentem charitatem erga Liberos & Domeſticos*, quã tum neceſſaria illis providere, tum in pietate ac timore DEI eoſdem educare ſatagant, ut ipſæ quoque jure illos cum S. Tobia ſic alloqui poſſint: *Nolite timere, Filii mei, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus DEVM, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.*

Qu. 15. Quid Virginibus præcipuè commendare debeat Confeſſarius? R. tria maximè. 1. Ut agnoſcant beneficium, quod ipſis contulit DEVS, dum pro Sponſo terreno, ſe infinities pulchriorem, nobiliorem, ditioſiorem, ſapientioſiorem, ſanctioſiorem, & amabiliorem in Sponſum obtulit. 2. Ut juxta monitum S. Pauli 1. Cor. 7. *Cogitent, qua Domini ſunt, ut ſint ſancta corpore & ſpiritu*; præcipuè verò Orationi & familiaritati cum Sponſo ſuo ſtudeant, atque omnes cum eo adverſitates libenter, fortiterque excipiant. 3. Ut meminerint, ſe theſaurum Virginitatis ſuæ in vaſis fictilibus & fragilibus portare, atque adeò omnes occaſiones, in quibus periculum amittendi illum apparet, ſtudioſè declinent.

Qu. 16. Quid Juvenibus & Adoleſcentibus ſpecialiter commendare debeat Confeſſarius? R. ſequentia ferè. 1. Ut juxta doctrinam Salomonis Eccleſ. 12. meminerint Creatoris ſui in diebus Juventutis ſuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicant: non mihi placent.

Inſtruit. V.

L

cent.

cent. Sicque cum Tobia juniore ab infantia timere DEVM discant. 2. Ut juxta exemplum Christi studeant non tantum ætate, sed etiam Sapientiã (aut aliis artibus in reliquam vitam servituris) & gratiã coram DEO & Hominibus proficere. 3. Ut in hunc finem libenter se subjiciant Disciplinæ Parentum & Instructorum suorum, uti iterum exemplo suo docuit Christus, qui de se hoc unum à duodecimo usque ad trigessimum annum scribi voluit, quòd fuerit subditus illis, & profecerit sapientiã & gratiã, quasi significare voluerit, hanc obedientiam esse præcipuum medium, quo Juvenes & Adolescentes uti debeant ad optatum profectum in variis artibus, scientiisq; ac virtutibus faciendũ.

Qu. 17. *Quibus industriis uti debeat Confessarius, ut sint Penitentes ad hæcenus descriptam perfectionem ducat?* R. sequentes ferè à prudentibus & expertis Confessariis præscribi.
1. Ut, quemadmodum Ludovicus de Ponte to. 4. de perf. tr. 1. c. 13. monet, bene cognoscere studeat bonas propensiones, quas Dominus DEVS Pænitentibus largitus est; & spiritum, quo suis inspirationibus eos ducere incipit, ut ipse se conjugat cum DEI Spiritu, & cum bona illa Pænitentis propensione, ut illum foveat, & perficiat in bono, ad quod tendit; semper enim firmiter ac diuturnius est, quod cum majori sit animi propensione; hinc S. Dionysius inspirationes divinas stimulos dulces vocare solebat, qui jugum Domini suaviter portari faciunt. 2. Ut non nimis urgeat Pænitentem, volens, ut uno quasi volatu ad culmen sanctitatis ascendat, sed paulatim, & per gradus ducat, eumque in finem meminerit, sic esse regnum DEI, teste Christo Marc. 4. quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet, & increseat, dum nescit ille: ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam venit messis. Super quæ verba more suo eleganter discurrens S. Gregorius l. 22. mor. c. 14. Primùm, ait, profert herbam tenerarum virtutum gradui Tironum accommodatarum; postea prodit culmus, quia operibus præstantioribus corroboratur, fitq; solidior ac firmior: postea prodit spica cum operibus proficientium propriis: denique provenit spica plena granis, quã proferuntur opera pleniora & præstantiora, quæ sunt.

sunt perfectorum propria. 4. Ut, quemadmodum S. Franciscus Xaverius, teste Turfellino l. 8. vit. c. 12. suavit, omni etiam ope adnitatur, ut, quos erudit Confessarius ad pietatem, suas sibi tentationes, incurfantésque animum cogitationes aperiant; hoc quippe ad virtutis absolutionem præcipuum subsidium esse, rudibus in hoc genere pugnae, aut non satis peritis, exercitatisque. Unde sedulò cavendum, ne severiorem se illis præbeat, ne, quia severitas fiduciam excludit, fraudes, quibus à Dæmone oppugnantur, silentio supprimant, leviùs rati, Dæmonis insidias subire, quàm acerbiter Magistri. Ita necessario nudati præsidio, telis que acerrimi hostis expositi usque eò incessentur, prementurque, donec malis domiti faciant deditioem. 5. Ut non contentus sit, communes illis vias ostendisse ad felicitatem obtinendam, sed etiam ad perfectionem cujusque statui convenientem perducere Pœnitentes suos studeat; sic enim Apostolus Coloss. c. 1. monuit, ut docerent Magistri spiritus omnem hominem in omnè sapientia, ut exhibeant omnem hominem perfectum in Christo JESU.

CAPUT VIII.

QVID CIRCA CONFESIONEM HÆRETICORUM CONVERSORUM SIT OBSERVANDUM.

Qu. 1. AN, & quomodo Confessarius Hæreticos à sua Hæresi abducere debeat? R. 1. Cùm ad Confessarium Ze-
losum pertineat DEI gloriam, Ecclesiæ Catholicæ augmen-
tum, & animarum salutem procurare, haud dubiè optimè fa-
cturum, si errantes ejusmodi Oviculas opportunis mediis
quærat, atque in Ovile Christi cum magno DEI, Angelo-
rumque gaudio, & ipsarum Ovicularum reductarum solatio
reducere studeat. R. 2. Modum eos reducendi quod atti-
net, ante omnia bene notandum esse ex præludio Manualis
Becani, quòd quatuor sint genera Hæreticorum: nam alij
sunt *Pertinaces*, qui, licet agnoscant, se à communi sensu Ec-
clesiæ, & SS. Patrum recedere, nihilominus ex superbia & ob-
stinatione pertinaciter in suo errore permanent, ne à veritate
convicti videantur. Alii sunt *Zelosi*, qui ex ignorantia po-
tius, quàm pertinacia judicant, suam Sectam Veritati & Evan-
gelio

gelio conformem esse, ideoque tanto ardore eam tuentur, ut vitam potius amittere, quam errores suos deponere parati sint. Alii *Frigidi* sunt, id est, tales, qui quidem errores suos agnoscunt, & etiam parati sunt deponere, sed ob varias excusationes, quas frigidè prætendunt, in iisdem erroribus perseverant. Denique alii *Dubii* sunt, qui simplici ac recto corde veritatem quærunt, ideoque, quia ipsi per se invenire eam non possunt, ab aliis instrui, & juvari petunt. Hoc notato quatuor ferè sunt media, quæ ex parte Confessarii ad reductionem ejusmodi Hæreticorum adhiberi queunt. Primum est *Oratio assidua*, quâ lumen cæleste illis à DEO impetretur, ipsique etiam ad hoc petendum instigentur; sicut enim cæcitas corporalis non nisi extraordinaria DEI virtute tollitur; ita & mentalis hæc occæcatio non nisi per specialem DEI favorem, gratiamque curatur. Certè hîc, si ullibi aliàs locum habet illud Christi Jo. 6. *Nemo potest ad me (& ad Ecclesiam meam) venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Alterum est, ut ad *bonorum Operum exercitium*, si potest, eodem animetur, nam, ut bene S. Chrysostomus ho. 19. oper. imperf. advertit, sicut sole manente non prævalet nox; cum autem accesserit ad occasum, tunc occupat mundum; sic, quamdiu lumen Justitiæ in Homine fuerit, tenebræ eum non apprehendunt; sed, si illud ablatum fuerit, quia non error generat peccata, sed peccata errorem. Tertium est *Inductio*, ut templâ nostrâ frequentent, & conciones audiant; sic enim alia longè, quam sibi falsò hætenus persuaserant, videbunt, & audient, sicque ex falsa hac persuasione correctâ paulatim ad substantiales quoque errores suos in dubium revocandos impellentur. Certè experienciâ constat, quosdam, cum ab Hæreticis suis Parentibus vel Doctoribus audissent, nimiam apud Catholicos in Ecclesiasticis dogmatibus & Cæremoniis diversitatem reperiri, ubi postea templâ nostrâ ingressi, tantam in officiis divinis peragendis uniformitatem ac reverentiam ad verterunt, in Hæresi nutare cœpisse, atque ad Catholicam fidem amplectendam animum appulisse. Quartum est, ut per *amicam conversationem* cum ipso Confessario, vel aliis Catholicis factam, paulatim ad suos errores detegendos inducantur, & occasione data interdum eorum falsa dogmata non directè statim impugnentur, sed solummodo ostendantur, ob has

ob has vel illas causas sibi ea creditu difficilia videri; sic enim paulatim iterum dubitare de veritate suorum dogmatum incipient, & salutare scrupulos, velut scintillas in ipsum denique accuratioris investigationis incendium erupturas concipient. Quia tamen frequenter horrent ejusmodi Personæ cum ipsis Confessariis ab initio statim agere, ideo alii interdum, cum quibus habitant, instruendi sunt, quomodo cum ipsis agere, & nonnunquam scrupulum iniicere possint, quem in finem etiam libelli ejusmodi materias facili & claro modo tractantes suppeditari possunt. Cerrè Artificum servos non rarò hoc medio ad fidem nostram adductos esse, multiplici experientia compertum est. Verùm quia hoc libro potissimum Confessarius instruitur, quomodo in ipsa confessione se gerere debeat, ideo etiam hac in materia præcipuè indicandum est, quomodo Confessarius cum iis, qui jam concepto proposito Catholicam fidem amplectendi, ultrò ad ipsum veniunt, & ab eodem instrui, atque ab Hæresi sua absolvi possunt, agere debeat, sive in instructione, sive in confessione, ipsaque Fidei professione excipienda. Itaque

Qu. 2. Quid observare debeat Confessarius, si Hæreticus quis ab ipso instrui petit, vel ab aliis pro instructione adducitur? R. sequentia videri observanda. 1. Cum magna benevolentia & charitate excipiendus est, ut tantà suavitate delinitus, suos errores & vulnera tantò libentiùs, sinceriùsque aperiat, seque totum Instructoris sui directioni committat. 2. Etiam bona de ipso opinio verbis, factisque contestanda, ac bona voluntas, quâ salutis suæ curam accuratorem assumpsit, collaudanda, causa verò, quòd hæctenus Hæresi suæ adhæserit, ignorantia potius, quàm pertinaciâ, aut alteri inordinato affectui adscribenda. 3. Inquirendum, quâ causâ aut occasione permotus hoc propositum fidei nostræ amplectendæ conceperit; hæc enim notitia non parùm necessaria est, ad iudicium de illius dispositione & secutura constantia ferendum. 4. Collaudato motivo, operam suam in ordine ad Instructionem liberaliter eidem offerat, simul tamen etiam (si fortè pauperem ille se dicat, mediisque se sustentandi destitutum) apertè indicet, se quoad ejusmodi necessitates sublevandas media non habere, nec etiam curam istam in se suscipere velle, DEVM tamen rogaturum, ut piorum corda

moveat, ad necessariam illi opem porrigendam: uti jam multi magno suo solatio, commodoque sunt experti. 5. Hortandus, ut negotium hoc, utpote in quo cardo salutis propriæ versatur, magni faciat, Deoque per serias & affectuosas preces frequenter commendet; sed & eleemosynis etiam, aliisque piis operibus pro felici successu oblatis, divi nam Clementiam ac Misericordiam conciliare studeat. 6. Id ipsum etiam ipse Confessarius in SS. Missæ Sacrificio, aliisque precibus faciat, atque alios etiam, ut hoc negotium DEO commendent, amicè exoret.

Qu. 3. *Quid in ipsa Instructione Hæreticorum observare debeat Confessarius?* R. 1. Ante omnia inquirendum, an materialis duntaxat, seu, ut supra ex Becano diximus, Zelosus ac dubius, an verò formalis, pertinax, & frigidus sit Hæreticus. 2. Pariter indagandum erit, cui Hæresi fuerit addictus, & quantum in articulis fidei suæ sit instructus, vel radicans, ut tantò faciliùs cognoscere possit Confessarius, quibus medijs illum ab erroribus suis abducere debeat. 3. Ostendendum illi erit, in quibus principijs conveniant Catholici cum Hæreticis, nempe in doctrinis, seu articulis necessitate medijs credendis, baptismo, & similibus. 4. Propriùs accedendum, utque articuli enarrandi, in quibus nostra Catholica fides ab ejus Hæresi discrepat; quales plerumque sunt de numero Sacramentorum, de Sacrificio Missæ, de Justificatione hominis, de cultu Sanctorum, eorumque imaginibus, & reliquijs &c. 5. Ostendenda probabilitas nostrorum dogmatum, sive ratio, sive autoritas Ecclesiæ, & SS. Patrum, aliorumque doctissimorum Virorum, inò & Martyrum spectetur. 6. Eximendæ falsæ opiniones & doctrinæ, quas à suis Doctoribus de ejusmodi nostris articulis seu dogmatis hauserat. 7. Inquirendum, an alicui falso dogmati pertinaciùs adhæreat, uti plerumque in articulo de bina specie sumenda contingit, cuius proin falsitas ante omnia alia demonstranda erit, ut hoc ariete velut primario confecto, tantò faciliùs reliquorum falsitatem ac fallaciam cognoscat. 8. Attendendum est, an non aliud habeat impedimentum, ob quod frigidorum Hæreticorum more hætenus in Catholica fide fuerit retardatus, idque efficacibus argumentis erit removendum. 9. Offerenda Rosaria, sacra cera, imagines, libelli sacri &c. eorumque pius usus & utilitas demonstranda. Q. 4.

Qu. 4. Quid circa ipsam Confessionem peragendam sit observandum Confessario? R. 1. Cum à confessione tali plerumque vehementer abhorreant ejusmodi Pœnitentes, ideo omnè diligentiam & conatum adhibendum à Confessario, ut illi eximat talem horrorem. 2. Omnes ei Sacramenti hujus Pœnitentiæ partes bene, dilucidèque sunt explicandæ, libello etiam, ut facilius repetere possit, eum in finem oblato. 3. Cavendum, ne rigidum nimis examen eidem imperetur, aut longi Indices & Catalogi peccatorum (qui specula vocari plerumque ab ijs solent) pro peccatis inquirendis offerantur; hæc enim & similia difficultatem confessionis vehementer augent, atque à concepto proposito non modicè absterrent. 4. Etsi suadendum sit, ut examen super sua peccata ejusmodi Pœnitens instituat, & si fieri potest, peccata sua annotet, nihilominus tamen suaviter simul monendus, ne nimium se in tali examine cruciet, sed potius ipsi Confessario examen tale per suas quæstiones suppleturo sincerè respondeat; sic enim & onus confessionis relevabitur, & ipse modum fructuosè confitendæ eadem operâ addiscet. 5. Quòd si Pœnitens talis & multa, & gravis peccata commisisset, caveat Confessarius, ne rigidâ nimis reprehensione eadem castiget, sed potius collaudans generosam sui victoriam in iisdem enarrandis, suaviter eundem adhortetur, ut, sicut de novo Christianam fidem profitebitur, ita vitam quoque tali nomine dignam per constantem vitiorum fugam, & operum bonorum ferventem exercitationem instituere conetur. 6. Pœnitentiam quoque ab initio non gravem imponat, ne gravitate tali absterritus, importabile confessionis jugum existimet, ac tandem omnino illud excuriat. 7. Etsi non desint Authores, qui doceant, Hæreticum materiale à quovis Sacerdote approbato, & ordinariam Jurisdictionem habente absolvi posse; quia tamen hæc res per se sat gravis est, & ex altera parte Confessarius in judicio suo facile decipi potest, ideo consultius videtur, ut securiori via procedat, & si quidem ipse facultatem non habeat ab Hæresi absolvendi, Pœnitentem ad Episcopum, aut Religiosos privilegium ab Hæresi absolvendi habentes pro absolutione mittat; aut certè, ut ipse absolvere possit, delegatam facultatem petat.

Qu. 5. Quid circa Professionem Fidei ab Hæretico faciendam

L 4

obser-

observare debeat Confessarius? R. I. Ante omnia ei, si legere possit, Professionem fidei eo idiomate, cujus ille gnarus est, conscriptam offerendam, aut, quod ferè magis expediret, prælegendam, & breviter explicandam esse. 2. Testem unum, alterumve, qui Professioni præsens sit, eligendum, & exorandum. 4. Si fieri commodè queat, nec ipsi Profitenti iustas causas grave accidat, sub sacro publico Confessionem peragenda, ita, ut, dum peractâ suâ Communionem Sacerdos absolutionem ordinariam pronuncia vit, ad latus ipse genuflectat, Profitente interea suam Professionem recitante, & in fine digitos binos Evangelio imponente, & tum demum sanctissimum Christi corpus à Confessario porrectum accipiente. 4. Post peractam Professionem, & gratiarum actionem per solutam, gratulandum ei amicis verbis ob acceptum novæ reconciliationis beneficium erit, & variis motivis, mediisque ad constantiam animandus & instruendus. 5. Interdum non oberit, si Professio etiam scripta & subscripta à Pœnitente exigatur: sic enim tantò firmiter ratam habebit, quanto arctius se ad eandem servandam non voce duntaxat, sed etiam Scripturâ obligavit. 6. Pro majori solatio vicissim illi testimonium factæ Professionis offerri poterit. 7. Si pauper sit, qui profitetur, & Confessarius ipsum vel mensa excipere, vel certè, ut ab alio excipiat, procurare poterit, aut elemosinâ quâpiam juvare, magnum benevolentia per priora beneficia paratæ incrementum adijciat.

Qu. 6. Qua cautela circa eiusmodi Personas adhibenda sint à Confessario? R. sequentes præcipuè. 1. Ut non nimis credulum se earundem narrationibus præbeat, sed per varias quæstiones diversis temporibus factas probet, an dicta illarum sibi satis cohæreant. 2. Ut nec magnam sollicitudinem suscipiat in pecuniis pro ipsarum sustentatione colligendis, aut iisdem ad varia officia promovendis; ne occasionem præbeat, ut propter eiusmodi commoda potius, quàm veritatis agnitionem ad Catholicorum partes transeant. 3. Ut non nimis familiarem se illis præbeat, nec in privata conversatione quidquam aut dicat, aut agat, quod dictum aut factum nollet, si illæ ad vomitum redirent. 4. Ut nec libros aut alias quascunque res grandioris pretii iisdem commodet, quia experientiâ compertum est, non semel eas talia vendidisse.

disse, aut omnino cum iisdem aufugisse. 5. Ut etiam non facile aliis singularibus Personis per literas commendet ejusmodi Personas, ne onus earundem juvandarum satis ordinariè molestum ab humeris suis excutere, & in alienos transferre voluisse videatur. 6. Ut non turbari se patiat, si forè ab aliquo tali Pœnitente se deceptum advertat, eò quòd ille in Hæresin suam denuò relapsus, omnem Instructoris sui industriam, laborem & charitatem elussisse videatur; sed potiùs pulcherrimã illam & saluberrimam exhortationem sibi applicet, quã DEVS ipse S. Franciscum Seraphicum, cùm hic ob tam multorum ab Ordine suo deficientium inconstantiam vehementer tristaretur, consolari dignatus est, dum dixit eidem: Quid turbaris, Francisce? aut quid angeris, cùm tuorum quispiam Ordinem deserit, aut scandalum creat? an fortè existimas, te ita Gregis tui Rectorem, ut non intelligas, me Superiorem esse ejus Rectorem? quis plantavit, nisi ego? aut quis præter me Homines ad Pœnitentiam vocat, & vocatis perseverandi vires suppeditat? ego eos perduxì, ego retinebo & servabo, ego illis cadentibus alios erigam. Quamobrem hoc tibi præcipio, ut in posterum ad eò te non excrucies, sed scias, hanc à me Familiam diligere, & si unus ad vomitum redeat, me in ejus locum alium suscitaturum, qui illius coronam accipiat, & is, si nondum natus fuerit, efficiam, ut nascatur. Quòd si tres tantum in ea permanserint, eos nunquam deseram, sed erit semper hæc mea Familia.

CAPUT IX.

*QVID CIRCA CONFESIONEM REORUM
sit observandum Confessario?*

Q. I. **A**N Reus, qui cum discrimine vitæ in carcere detinetur, sit ad Confessionem excitandus, antequam capitalis sententia illi indicetur? R. ordinariè non expedire, cùm periculum sit, ne Confessionem sinceram & validam non faciat, reticendo illa crimina, propter quorum suspensionem potissimum in carcere detinetur; unde talis potiùs ad contritionem animandus est, ut recuperato gratiæ statu fructuosam sibi miseriarum, quas in carcere pati cogitur, tolerantiam faciat. Quòd si tamen ipse peteret confessionem facere, aut propter

delictum certum, & ab ipso jam coram Judice non negatum in carcerem conjectus esset, facilius posset ipsius confessio excipi, variaque illi monita ad hanc suam captivitatem forti animo tolerandam suggeri.

Qu. 2. *Qua cautela circa confessionem Reorum ad mortem damnatorum adhiberi debeant à Confessario?* R. Si ulla alia in confessione cautus esse debet Confessarius, in hac maxime id necessarium esse, ideoque sequentes cautelas accuratissime observari debere. 1. Ut, si Pœnitens confiteatur, se aliquot crimina, etiam semiplenè probatâ, negâsse, non importunè urgeat ad illa adhuc coram Judice confitenda, cum id eum licitè facere potuisse, Lessius, Jo. Sancius, Filliut. & plures alii DD. apud & cum Diana p. 9. tr. 15. re. 27. doceant. 2. Ut neque absolutionem neget Reo, atque ad revocationem cogat, si ob timorem gravissimorum tormentorum, quæ ipsi Judices minitati sunt, falsum sibi crimen imposuerit, ob quod ad mortem damnatus sit; quia, licet absolurè loquendo verior sit sententia Navarri & aliorum negantium, id licitè posse facere Reum, affirmativam tamen sententiam probabiliter docent Layman, Azor, Valent. Lessius, & plures alij apud Dianam p. 3. tr. 5. re. 7. eò quod vita non sit digna, ut cum tanto dolore servari, redimique debeat. 3. Ut neque fugam suadeat, nec ad eandem ullo modo per oblationem instrumentorum, aut pecuniæ cooperetur; quia, etsi per se omnes, qui non sunt Ministri Justitiæ, cooperari posse ad talem fugam, armâque ad effringendos carceres offerre, Vasquez, Lessius, Azor, & plures alij apud Dianam p. 3. tr. 5. re. 102. doceant, ut tamen Confessarius id faciat, non expedit, quia posset sibi, totique Clero vel Religioni grandem aversionem Judicum & Magistratûs creare, efficerèque, ut deinceps tam liberè non permitterentur Sacerdotes agere cum Reis; pecuniam tamen facilius offerre posset, non quidem eo titulo, ut fugiat, sed ut suis necessitatibus in vel extra carcerem prospiciat. 4. Ut, si fortè Reus in foro externo jam convictus, ideoque ad mortem etiam damnatus, constanter adhuc crimen neget, atque in ipsa etiam confessione innocentem se esse dicat, eidem absolutionem quidem impertiat (cum in foro interno magis Reo, quàm omnibus aliis credendum sit) interea tamen moneatur de obligatione illud fatendi, si quidem revera id commiserit,

miserit, & salutis suæ prospectum velit. Ut tamen in tali casu aut innocentiam Judici aperiat, aut pro ipso Reo intercedat, neutiquam consultum videtur; cum ex una parte Judex id minime crediturus sit, utpote secundum allegata & probata procedens: ex altera verò parte, si Rei advertant, hoc onus Confessarios in se suscipere, occasionem arrepturi sint, sua crimina audaciùs, tenaciùsque celandi, ut bene notârunt Laymann. & Tanner. apud Buseubaum l. 4. c. 3. du. 8. 5. Ut etiam in aliis casibus non recipiat in se patrocinium supplicij remittendi, quia sic Reum non posset tam commodè disponere ad officium suum faciendum, utpote qui semper haberet spem vitæ à Confessario obtinendæ, & si spe cadat, animum ab eo penitus abalienaturus esset. 6. Ut nullo modo ipsemet Confessarius sententiam mortis Reo indicet, sed hoc officium ipsis Justitiæ Ministris relinquat, suumque officium esse dicat, ad mortem piè, fortiterque obeundam Reum disponere. 7. Ut, si Reus restitutionem facere velit, diligenter caveat Confessarius, ne aut periculum violandi sigilli, aut certè alia incommoda, quæ per restitutiones ab ipsis Confessariis factas sequi facilè solent, incurrat. Potius ergo curet, ut per alios, si salvo sigillo confessionis fieri id possit, ea restitutio peragatur.

Qu. 3. *Cum sæpe Rei aliqui propter Magiam & Veneficia ad mortem sint damnati, quid in horum confessione excipienda specialiter observare debeat Confessarius?* R. de sequentibus potissimum talem Reum interrogandum esse. 1. Propter quem finem se Dæmoni mancipârît, an scilicet propter voluptates, an verò propter divitias, an tandem propter famam sanctitatis, aut dignitatem quampiam obtinendam id fecerit? constat enim experientiâ, plerosque ejusmodi Veneficos aliquo ex his finibus impulsos esse ad ejusmodi scelus perpetrandum. 2. An non DEVM, Sanctos, Sacramenta, omnèque fidei articulos abnegârît, & abjurârît, idque chirographo propria manu aut sanguine subscripto? 3. An non in nocturnis conventiculis Diabolum pro DEO habuerit, & verè adoraverit? 4. An non aliquando SS. Evcharistiâ ad veneficia turpiter abusus sit? 5. An DEVM & Sanctos non blasphemârît? 6. An nunquam cum Dæmone se miscuerit? 7. An nullam maleficio, veneno, aliisve modis occiderit, aut aliud

aliud grave damnum intulerit? 8. An nullum Infantem falsò baptizàrit, vel ante Baptismum interemerit? 9. An neminem seduxerit, & Dæmoni mancipàrit? 10. An nunquam sacrilegè confessus sit, & communicàrit? 11. An non odia & inimicitias graves inter varias Personas procuràrit? 12. An non amuleta magica aliis distribuierit ad eos invulnerabiles efficiendos? 13. An non philtis, aliisve vetitis remediis impuros amores conciliaverit? 14. An non à Dæmone in alienas domos transportatus, pecunias aut alias res abstulerit, vinúmque exhauferit? 15. An non de rebus futuris vel amissis quæsitus, consilium ope Dæmonis dederit? 16. An non cum Dæmone aliquo Matrimonium inierit? De his, inquam, & similibus capitibus quæri debet ejusmodi Reus; quæ tamen ipsa, cum pauca plerumque sint respectu scelerum, quæ à talibus Hominibus instinctu Dæmonis perpetrantur, ideo rectè faciet Confessarius, si ipse Reum prius ad Pœnitentiam disponens, ad seriam confessionem hortetur, omnesque ad eò actus malos explicandos, quos instinctu Dæmonis, aut propriæ malitiæ impulsu perpetravit.

Qu. 4. *Quas obligationes imponere abeat Confessarius tali venefico Reo?* R. quinque potissimum. 1. Ut pactum cum Dæmone rescindat, jurètque, se nullum deinceps commercium amplius cum ipso habiturum. 2. Ut professionem fidei denuò faciat, sive per symbolum commune Apostolorum recitatum, sive per præscriptam ab Ecclesia formulam, sive conceptis à Confessario verbis. 3. Ut, si quæ adhuc secum, aut alibi habet, magica instrumenta deponat, aut comburat. 4. Ut, si Evcharistiam aut Reliquias Sanctorum alicubi pro malo & superstitioso usu reconditus habet, id Confessario aut alteri indicet, ut auferri, & religiosè asservari queant. 5. Ut damna aliis per maleficia illata, quantum fieri sine graviore damno potest, resarciat, maximè si quos falsò baptizasset, aut tali modo baptizari curasset. Quæ omnia tamen magna cum cautela fieri debent.

Qu. 5. *Qualis Pœnitentia Reo ad mortem damnato imponenda sit?* R. plerumque levissimam, quam statim post confessionem, vel cum ipso Confessario implere possit, imponi debere; non oberit tamen, si ipsa etiam mors utpote ob difficultatem valdè satisfactoria ei imponeretur pro pœnitentia, & mone-

mōneretur, ut vel ex hoc capite studeat eam resignato, fortissime animo sustinere, ut tantò copiosius per eam pro suis delictis satisfaciat.

Qu. 6. *Quid facere debeat Confessarius; si Reus ad mortem damnatus ex pertinacia vel desperatione confiteri nolit?* Res. sequentia media esse tentanda. 1. Confessarius ad preces se conferat, & maximè ad SS. Missæ Sacrificium; ubi, dum sanctam Hostiam in manu habet, illis Estheris verbis Servatorem suum & Rei alloqui poterit: Si inveni, ô Domine, gratiam in oculis tuis, & si placet tibi, dona mihi animam, pro qua rogo. 2. Eundem in finem etiam aliorum piorum Hominum preces implorare poterit. 3. Promittat unum vel alterum Sacrificium pro animabus purgantibus offerendum; constat enim hoc medium sæpius non parùm efficax fuisse ad felicem negotii huius successum impetrandum. 4. Dissimulet nonnihil sermones de confessione, & potius de aliis rebus indifferentibus, aut solatiis ad mortem fortiter obeundam conducentibus loquatur. 5. Maximam, quam potest, charitatem, tum per blanda colloquia, tum per opera misericordiae v. g. cibi aut potûs emendicationem exhibeat. 6. Narret interdum adstantibus historias quasdam vel de magnitudine gaudiorum cælestium, vel tormentorum infernalium, ut horum quidem salutarem fortè timorem, illorum autem defiderium concipiat, & vel sic emolliatur, moveaturque ad officium faciendum. 7. Interdum proderit etiam historiam aliquam tragicam impenitentis Homini, & turpiter à Diabolo contra promissionem deserti narrare; aut etiam alterius cuiusdam in ipso mortis articulo resipiscens, & cum magno spectatorum gaudio, & commendatione morientis. 8. Si tempus fatalis diei advenit, suaviter interroget, an non meliora jam consilia conceperit? adesse jam paulatim momentum, à quo pendeat felix aut infelix æternitas; apertam modò adhuc stare januam ad cælum vel infernum; in ipsius nunc arbitrio esse, quam eligere velit. 9. Roget per merita & sanguinem Christi, ne salutem suam negligat, animamque tam pretioso Christi sanguine emptam perdat, imò interdum expediret etiam in genua provolui, atque ad idem faciendum adstantes hortari. 10. Si ne tunc quidem acquiescat, cesserit nonnihil ab admonitione, & potum vel cibum ei offerat, nul-

lo un-

lo unquam acerbiori verbo aut gestu pertinaciam ejus castigans. 11. Si Lictores veniant ad illum abducendum, repetat iterum, indicetque, nunc eum verè iter æternitatis ingredi, videat proin, quò tendat. Si adhuc nihil proficiat, alloquatur coram ipso Christum Crucifixum, quem in manibus habet, rogetque, ne permittat petirè hanc animam pretioso suo sanguine redemptam, aliàque plura in hunc finem apta proferat. 12. In egressu ad locum supplicii, si nolit orare Reus, nec ipsum audire, non urgeat invitum, sed potius cum sociis vernaculâ linguâ preces pro ipso fundat, & nonnunquam suaviter quærat, an non refocillatione aliqua indigeat? 13. Ubi ad locum supplicij deventum fuerit, jubeat omnes adstantes flectere, & pro anima illius preces fundere, quem in finem ipse conceptis verbis præire poterit. 14. Quòd si nihil hinc omnibus effecerit, aliqui putant ad terrorem & exemplum adstantium ei, dum aut laqueum, aut ictum fatalem excepturus est, minaci vultu dicendum: Ergo abi Maledicte in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus: ego tamen potius ingeminanda adhuc pia suspiria contritionis & amoris judicarem, ut vel in ultimo articulo non desertus fortè respiscat.

Qu. 7. *Quid agere debeat Confessarius, si Fur aut alius Reus in scala iam consistens adhuc confiteri velit?* R. si prius jam confessus sit, & Judex difficulter descensum concessurus foret, admonendum esse, de dolore eliciendo, & sic eminè absolvendum. Si autem ex pertinacia prius confiteri noluisse, tum omnino rogandum Judicem esse, ut eum descendere permittat, ejusque confessionem sub pallio excipiendam.

C A P U T X.

QVID CIRCA CONFESIONEM INFIRMORUM & Moribundorum sit observandum Confessario?

Q. 1. *Quid circa Confessionem acri in genere debeat observari Confessarius?* R. 1. nisi periculum mortis immincat, non statim faciendam mentionem Confessionis, sed præmittendas prius alias quæstiones de morbo, doloribus, & similibus materiis, commiserationem ostendendam, aliàque faci-

cienda, quæ Infirmum benevolum efficere queant. Deinde verò occasionem quærendam, ut ostendatur, quantum opère conducatur status gratiæ, & Sacramentorum usus ad tales morbos fortiter & cum fructu exantlandos, & tum facienda paulatim confessionis mentio; quæ tamen, si periculum immineret, maturius procuranda foret. *R. 2.* Si petat æger spatium sibi pro præparatione relinquere, omnino id concedendum esse, nisi periculum proximum mortis imminet. Si verò mox confiteri velit, magna cum charitate & mansuetudine audiendum esse; & si rudis sit, aut propter virium debilitatem difficulter loquatur, etiam variis quæstionibus iuvandum. *R. 3.* finita confessione prudenter facturum Confessarium, si Infirmum (nisi ipsemet id faciat, aut facturum prudenter credatur) ad veram contritionem de peccatis eliciendam disponat; quem in finem aptissima ferè motiva sunt Patris & Redemptoris titulus; unde proderit narrare historiam de Filio, qui, ubi intellexit, se in bello proprium Patrem, ignotum licet, occidisse, & corpus ejusdem vidit, in hastam suam inclinans præ dolore mortuus est; quantum magis ergo dolere debet, qui Patrem suum cælestem, & Servatorem suum, scienter & malitiosè peccato mortali, quantum in se fuit, occidit, aut certè conatus est occidere. *R. 4.* Si vel restitutio facienda, vel inimicitia tollenda est, sedulo laborandum ei esse, ut in hoc genere suas partes perfectè obeat æger; simul tamen etiam cavendum, ne majus ipsi, quam oporteat, onus imponat, aut inanes scrupulos ingenieret. Quomodo verò ad reliqua Sacramenta suscipienda, atque alia officia Infirmi salutis suæ studiosi implenda disponi debeat, fusiùs in Instruct. practica 3. de Conversatione privata c. 4. explicatum est.

Qu. 2. Quid agere debeat Confessarius, si æger obstinato animo confiteri nolit? *R. 1.* Orandum pro illo esse, & varia bona opera offerenda. Deinde submitendum aliquem, qui multum apud ipsum autoritate & gratia valet, ut eum ad officium suum faciendum amicè hortetur, & periculum vitæ imminens ostendat. Tum ipsum etiam Confessarium accedere debere, & quàm humanissimè potest, cum ægro de variis rebus, quas ipsi gratas esse novit, colloqui, nullam faciendo mentionem de confessione, quousque benevolum satis adverterit. Proderit etiam commendate sollicitudinem & charitatem

ritatem, quam Infirmus erga Domesticos haecenus ostendit; subijceréque, se sperare, quòd non minorem etiam suæ salutis curam hoc tempore sit habiturus. *R.* 2. Si media hæc nihil proficiant, inquirendam occultè esse causam, cur nolit confiteri; an scilicet vel affectus aliquis erga peccatum, vel rem aliquam terrenam? vel desperatio ob gravitatem peccatorum? vel acedia & difficultatis horror? vel aliud quid simile lateat? quæ proiu radix inventa omni modo atque industria tollenda erit. *R.* 3. Si pergat Infirmus obstinatum se exhibere, explicandum ei esse, quomodo DEVS joculari secum Hominem non patiat, atque adeò nunc idem ipsi Infirmo dicat, quod olim infelici Episcopo Udoni per somnium dixit: *Vdo, Vdo, cessa ludo.* Si ergo non resipuerit, meritò timendum esse, ne impleat DEVS, quod per Salomonem minatus est, dum Eccl. c. 5. dixit: *Non tardes converti ad Dominum; & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Pari modo etiam explicandum est, quam infelix status peccatores in altera vita maneat, quamque adeò nihil detrectandum sit Homini, ut miserum illum Statum effugiat. Certè hîc occini potest, quod olim servi Hero suo Naamo 4. Reg. 5. dixerunt: *Pater, si rem grandem tibi dixisset Propheta, certè facere debueras, quantiò magis, quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis?*

Qu. 3. *Quid faciendum sit, quando Confessarius vocatur ad confessionem talis agri, qui non potest solus relinqui, nisi adiuvetur à circumstantibus, ut sunt recenter vulnerati, vel mulieres parturientes, & periculum est in mora?* *R.* cum Sanchez & Diana p. 5. tr. 3. re. 56. Confessarium in tali casu debere querere, an doleat de omnibus suis peccatis, & modo, quo potest, optimo se accuset? ad quam quæstionem si annuat, absolutionem ei impertiendam esse, ita tamen, ut, si postea occasio aut facultas ob discessum astantium, & Pœnitentis vires detur, ex instituto illius confessio audiatur.

Qu. 4. *Cum in articulo mortis quilibet etiam simplex Sacerdos absolvere possit ab omnibus peccatis & censuris, quomodo intelligendus sit iste articulus?* *R.* ex communi sententia intelligi quodcunque probabile vitæ periculum, & quidem tunc statim, quando incipit, atque adeò Mulieres prægnantes primò, aut difficulter parturientes, Milites pugnam incuntes, Re-

graves

miges longam & periculofam navigationem fufcipientes. Viatores periculofum iter peragentes, Bannitos, id est, eos, qui impunè à quocunque poffunt occidi, & denique Reos ad mortem damnatos poffe à quocunque Sacerdote ab omnibus peccatis & cenfuris abfolvi, & ita quidem, ut Suarez & plures alii apud Dian. p. 5. tr. 3. re 66. doceant, eos, fi à refervatis abfoluti fint, obligatos non effe ad fiftendum fe Superiori, fi periculum id evadant.

Qu. 5. *Quid circa restitutiones ab Infirmo faciendas obfer-
vare debeat Confeffarius.* Resp. 1. Diligenter cavendum, ne, fi
ulla ratione prudenter & licitè eum à restitutionis onere li-
berare queat, ipfum importunè ad restitutionem faciendam
urgeat. Resp. 2. Etsi Jo. Baptista Poza apud Dianam p. 5. tr. 3.
re 104. concedat, abfolvi poffe talem Infirmum, fi restitutio-
nem per Hæredes aut Confeffarium post mortem facere ve-
lit, rectiùs tamen Confeffarium facturum, fi contrariam ejus-
dem Dianæ, Azor, Reginaldi, & plurium aliorum fententiam
fequatur, & Infirmo perfuadere conetur, ut per feipfum, dum
vivit, ejusmodi restitutiones faciat, maximè, fi fama ali-
cui graviter læfo fit restituenda. Resp. 3. Si non expediat, ut
Moribundus declaret in Testamento aliquas restitutiones,
tum Confeffarium suadere poffe, ut vel faciat Capitulum in
Testamento, quo jubeat, ut Hæredes dent tantam pecuniæ
summam Confeffario, vel alteri cuiquam Amico, ut eam ex-
pendant fecundùm voluntatem Testatoris; aut certè, fi No-
tarius sine incommodo haberi non poffit, suadeat, ut apponat
Capitulum, in quo dicatur, quòd reliquerit Schedam manu-
fcriptam apud Confeffarium vel Amicum, quâ declaraverit,
quid infuper post mortem fuam fieri velit, quàmque perinde
validam effe decernat, ac fi Testamento fuiffet inferta.

Qu. 6. *Quid circa Testamentum à Moribundo faciendum
obfervare debeat Confeffarius?* Resp. 1. Omnino confultum vi-
deri, ut, fi Moribundus multas divitias & bona poffideat, va-
riâque officia, de quibus rationes Superiori fint reddendæ, ha-
buerit, tum de rationibus hisce maturè, fi poffit, ordinandis;
tum de Testamento jufto & pio & faciendò moneatur, ne ex
horum neglectu fibi quidem grave impedimentum ad felici-
tatem æternam citiùs consequendam; Hæredibus verò fuis
gravium litium, & damnorum occasionem præbeat. Resp. 2.

Infruct. V.

M

Etsi

Etsi ipse Confessarius sine gravi causa aut necessitate assistere tali Testamento non debeat, rectè tamen facturum, si de tribus capitibus in ejusmodi Testamento condendo observandis prudenter eundem moneat. 1. Ut cum bona intentione, & in statu gratiæ faciat, aut certè confirmet hoc Testamentum. 2. Ut in eodem condendo majorem semper divini gloriæ, & propriæ salutis, quàm Amicorum aut Consanguineorum, nisi aliud vel paupertas, vel aliæ graves rationes suadeant) rationem habeat, atque ad eò Missas, aliâque pia opera pro se quàm plurima post mortem, destinatis in hunc finem certis pecuniis, fieri curet. Sed & inter Pauperes, eorum magis in Testamento meminerit, à quibus copiosiora post mortem auxilia, suffragiaque efficaciora sperare meritò queat. 3. Ut, quæ vivens in animæ suæ salutem exequi potest, Hæredibus non facilè committat; quem in finem narrasse proderit, quid olim Filius quidam prudenter Patri suo responderit; dum scilicet convocatis à Patre moribundo Filiis, & dicere jussis, quid quilibet pro Patris salute post mortem facere vellet cæteris varia obsequia pia promittentibus, ipse nihil se facturum respondit, causamque rogatus subjecit: Si tu, ô Pater charissime, dum plenus bonorum tuorum Dominus es, nihil pro animæ tuæ salute decernis, multò minùs à Liberis, quorum quilibet partem tantùm bonorum acquireret, sperare poteris.

Qu. 7. *Quid circa Indulgentias moribundo applicandas observare debeat Confessarius?* Resp. 1. Meminisse eum debere, quòd omnes Sodales Congregationum Rosarii, S. Francisci, Annunciatæ, imò & reliquarum ferè omnium, quæ Indulgentias aliquas à Romana Sede concessas (nam hæc ordinariè adjungitur) habent; item omnes, qui habent Indulgentias quinque Sanctorum, S. Caroli Borromæi, Urbani VIII. & similes: aut in vita soliti sunt devotè SS. JESU nomen pronunciare, plenarias in mortis articulo indulgentias lucrari queant. Resp. 2. nôsse eum debere, quòd hæc indulgentiæ, si ab ipso Pœnitente sibi applicari possint (ut fieri posse censendum est, si in Bulla Indulgentiarum non requiratur applicatio; uti non requiritur in plerisque Indulgentiis, quæ in honorem Sanctorum, aut Congregationibus conceduntur) probabiliter pro vero mortis articulo, ex quo actualiter quis moritur

refer-

referrentur; reliquæ autem per Confessarium applicatæ toties obtineri possint, quoties periculum novum subitur, & illæ per Confessarium applicantur; neque certa verborum formula pro ejusmodi applicatione requiratur, aut, ut præsens sit moribundus, sed etiam absenti applicari possint; uti Diana p. 5. tr. 3. re 134. cum pluribus alijs docet.

Qu. 8. *Qualis penitentia eiusmodi Infirmis sit imponenda?*
R. Non nisi levissimam ordinariè imponendam, maximè, si Infirmus sit moribundus, & paulò post Indulgentias plenarias, de quibus in priori quæstione facta est mentio, lucraturus credatur. Sufficit ergo in tali casu, si ei præcipiatur, ut vel SS. nomina JESUS & MARIA pronunciet, vel pectus percutiat, vel unum Pater & Ave recitet, si potest.

Qu. 9. *An, & qualis adhortatio eiusmodi Infirmis sit facienda?*
Resp. 1. hortandos esse, ut bono animo sint ob remissionem peccatorum obtentam, & ut Christum sibi quoque, ut olim S. Mariæ Magdalenæ dicentem imagnetur: *Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace.* Resp. 2. excitandos quoque esse, ut credant hos dolores à paterna DEI manu ex speciali amore missos esse, atque aded pro singulari beneficio agnoscere, & pro copiosiori peccatorum suorum satisfactione patienter tolerare, Deoque offerre studeant.

C A P U T X I.

QUID CIRCA MULIERUM CONFSSIONES excipiendas observare debeat Confessarius?

Q. 1. *Quid in genere circa Confessiones Mulierum excipiendum observare debeat Confessarius?* Resp. sequentes doctrinas à Religiosissimis & expertissimis Confessariis traditas studiosè observandas esse. 1. Ut, quantum est in se, magis semper inclinet Confessarius ad virorum, quàm mulierum Confessiones excipiendas; uti jam pridem S. Franciscus Xaverius his verbis suaserat: *Et quoniam Femina (qua mobilitas ac levitas est muliebris ingenii) plerumque multum negotii facessunt, cum eis hac tenenda maximè cautio est, ut viros Christo adiunctos impensius excolas, quàm eorum uxores. Nam cum natura constantiores sint viri, & ab eis domestica pendeat disciplina, rectius profectò apud eos, atque utilius opera collocatur.* Rectè enim

M 2

Sapiens:

Sapiens: *Qualis inquit, est Rector civitatis, tales, qui habitant in ea. Et simul multa offensiones, sermonesque, qui oriri solent ex Feminarum familiaritate, vitantur.* 2. Ut, quemadmodum S. Ignatius Loiola sapienter monuit, teste Ribadeneira l. 5. vit. c. 11. omnium quidem mulierum, sed præcipuè earum, quæ ætate, statu, conditione periculosiores sunt, familiaritatem in confessionibus audiendis fugiat, utpote quarum ex consuetudine plerumque aut fumus sequitur, aut flamma; *de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere inquitur viri.* Eccl. 42. 3. Ut, quoniam cum spiritualibus Feminis major est deceptionis Diabolicæ occasio, cum his major quoque cautela adhibeatur; eò quòd, ut prudenter advertit P. Balthasar Alvarez insignis Societatis JESU Operarius, spiritualis amor transgredi solet limites suos, & fieri carnalis, & optimum vinum in fortissimum converti acetum; quod tamen non advertitur, donec mutuarum voluntates ita conjunctæ & agglutinatæ sint, ut, quamvis illibenter, & cum aliquo doloris sensu, potiùs à DEO, quàm à se invicem discedant, ac separentur, judicantes, non decere sibi in illo amore, teneroque affectu deesse; & tunc Dæmon accedit, & ignem accendens illos excæcat, & illaqueat.

Qu. 2. *Quid in actuali confessione Mulierum singulariter observare debeat Confessarius?* Resp. tria specialiter ab eo observanda esse. 1. *Locum*, ut scilicet, quantum fieri potest, in loco semper patente, & ad crates audiantur ejusmodi confessiones; multis enim tenebræ scelus nunquam aliàs cogitatum persuaserunt; quia ut vespertilioes & noctuæ in tenebris præcipuè suis tentationibus Homines incautos infestant. Certè Christus, dum solus cum Muliere Samaritana locutus est, & primà quasi illius confessionem excepit, quæ confitebatur, se septem viros habuisse, & illum, quem tunc habere videbatur, non esse suum, in patente loco, & aperto campo hæc fecit. 2. *Tempus*, ut scilicet breviter eas, maximè, si frequentius confiteantur, expediat, ideòque longas & impertinentes narratiunculas, prolixas adhortationes, & curiosas magis, quàm salutare quæstiones studiosè devitet. Sicut enim is, qui à pice coinquinari non cupit, necesse est, ut eam non tam diu in manu teneat, donec incalescat, & manum commaculet; ita, qui à muliebri sexu inquinari horret, omni studio cavere de-

bet, ne per longiorem confabulationem affectus incalescat, & corda utriusque sic conglutinet, commaculetque, ut & difficulter à se avelli, & macula contracta non nisi cum magno labore deleri queat. 3. *Modum*: qui in eo præcipuè consistit, ut & mutuus aspectus fugiatur (quid enim profunt crates ferreæ, si per oculorum januam intromittatur hostis, quem illæ arcere deberent?) & in ipso confessionis progressu severum se potius, quàm familiarem Confessarius ostendat, seduloque caveat, ne spiritualis amor in carnalem convertatur, atque ita verificetur id, quod pius Asceta l. 1. c. 15. de imit. Christi dixit; *Sæpe videtur esse charitas, & est magis carnalitas*. Certè spiritualis & sensualis amor valde propinquas habent portas, teste S. Basilio, ita ut, qui existimat se ingredi in domum prioris, inveniatur in domo posterioris versantem. Quare Confessarius juxta monitum Ludovici de Ponte Nautarum instar diligenter debet dare operam, ut Animæ suæ navis sit bene solida, & ita munita, ut nulla sit rimula, per quam vel guttula aliqua sensualis amoris ad aliquam mulierem intrare possit. Quòd si verò contingat intrare, mox instrumentum ad exhauriendam aquam præparatum, mortificatio scilicet, & amor purus Conditoris assumatur, & omnis per eum sensualis amoris affectus expellatur.

Qu. 3. *Quid circa confessionem mulierum uxoratarum specialiter observare debeat Confessarius?* Resp. In ejusmodi confessionibus, si in ullis aliis, valde cautum esse Confessarium debere; hæc autem cautela in sequentibus ferè capitibus observandis consistit. 1. Ut sedulo caveat, ne debiti conjugalis facillè mentionem faciat, utpote de quo interrogari summo opere horrent, & verecundantur paulò honestiores mulieres; satis ergo erit, si Persona ejusmodi sit, quam de alijs etiam peccatis examinare solet, si quærat, num debitam Marito fidem & obedientiam omnibus in rebus præstiterit? 2. Ut, quemadmodum S. Franciscus Xaverius prudenter monuit, ejusmodi Uxoribus affirmantibus, se enixius rebus divinis operam daturas, si abstineant à consuetudine virorum, neutiquam habeat fidem; nam & ille muliebris fervor facile refrigescit, nec unquam ferè suscipitur sine gravi aliqua virorum offensione. Potius ergo hortetur, ut per obedientiam & fidem conjugalem viris præstitam importunum illum pietatis

fervorem compensare conentur; quem in finem proderit narrare id, quod S. Macario evenit, dum scilicet desiderans à Deo intelligere, ad quam sanctitatis mensuram pervenisset, divinitus cognovit, se ad sanctitatem duarum mulierum conjugatarum Alexandriae habitantium pervenisse, cumque eas quæ sitas tandem invenisset, & de vivendi genere interrogasset, aliud nihil intellexit, quàm quòd inter se concordēs semper vixissent, & desiderium quidem ingrediendi cœnobium habuissent, verùm quia id Mariti permittere volebant, in fide conjugali illis præstanda perrexissent. 3. Ut non facile illarum querelis adversus Maritos credat; multò minus (ut iterum sapienter S. Franciscus Xaverius monuit) culpam in Maritum conferat, quam vis haud dubiè penes illum foret; nam, ut mulieres naturâ sua impudentes sunt, ac procaces, facile viris ipsorum noxas, præsertim Sacerdotum iudicio damnatas obijciunt. Quocirca satius est re dissimulata, observantiam Maritis debitam proponere Ilxoribus, ut demissè ac patienter, si quid molestiæ à viris accidat, ferant, eisquè dicto audientes sint.

Qu. 4. *Quid circa confessiones Religiosarum mulierum observare debeat Confessorius?* Resp. sequentia præcipuo studio esse observanda. 1. Ut ante omnia bene cognoscere studeat, quam facultatem habeat, easdem à peccatis, præcipuè reservatis, absolvendi, clausuram intrandi, alloquendi &c. 2. Ut, quòd peritiùs & fructuosius easdem regere possit, tum ea, quæ ad ipsam Status Religiosi perfectionem spectant; tum ea, quæ ad propriam cujusque Religionis vocationem pertinent, bene cognoscere studeat, eumque in finem libros Asceticos de hac materia scribentes; item earum Regulas & Constitutiones crebrò & accuratè evolvat. 3. Ut difficile & operosum sibi officium commissam esse intelligat (uti S. Ignatius Loiola expertus est, ut qui aliquando est factus, tres Montiales, quarum aliqualem curam susceperat, plùs sibi negotii successivisse, quàm totius Societatis administrationem, ideòque meritò cavet, ne Societas sua deinceps unquam specialem taliùm Personarum curam susciperet) ideòque rariùs potius, quàm frequentiùs, extra casum necessitatis, aut magnæ utilitatis cum iisdem converseatur, & ubi agendum id erit, magna cum cautela, prudentiâque id faciat, ne aut sibi, aut alteri parti

parti nullum periculum aut nocumentum creet. 4. Ut in responsis dandis non sit præceptis nimium, sed, nisi necessitas urgeat (quod raro continget) in gravioribus quæstionibus aut dubijs moram considerationi relinqui petat. 5. Ut nulli se nimis familiarem, nec uni potius, quam alteri faventem ostendat; quia ex utraque hæc doctrina neglecta grandia pericula, perturbationes, & aversiones oriri consueverunt, uti crebra, proh dolor! experientia ostendit. 6. Ut in confessionibus audiendis nullum impatientiæ aut tædij signum exterius ostendat; hoc enim non parùm inminueret confidentiam, quæ tamen ejusmodi Personis summè necessaria est, utpote quæ unicum ferè refugium ad Confessarium habent, quo si priventur, non aliter ac oves Pastore suo destitutæ, fatalibus Luporum infernalium insidiis, ipsiusque adeò interitûs periculo sunt expositæ. 7. Ut non facillè antiquas consuetudines immutet, & novas introducat; si quid autem ob graves causas immutandum videatur, id non sine consilio ac voluntate Superioris ac melioris partis Monasterij faciat. 8. Ut non inordinatè turbetur, aut scandalizetur, si interdum graviora quædam ab ejusmodi Personis vitia patrata advertat, sed potius meminerit, eas, quantò ardentius, fideliusque Deo servire incipiunt; tantò vehementius ab internali hoste oppugnari, atque ad lapsum impelli; unde commiseratione potius, quàm indignatione; auxilio potius, quàm reprehensione dignæ censeri debeant. 9. Ut in negotiis ad Oeconomiam, vel alios similes politicos fines pertinentibus consilium aut auxilium non facillè subministret, sed intra muneris sui limites, qui sunt, animarum salutem ac perfectionem invigilare, arctè, perinacitèque se continet.

Qu. 5. An permittere debeat Confessarius, ut eiusmodi Personæ spirituales, meras imperfectiones confiteantur? Resp. Pro resolutione hujus quæstionis, notandum imprimis est, quid propriè sit imperfectio, nimirum actio vel omisio, consilii & inspirationibus divinis, aut etiam Superiorum voluntati ad peccatum non obliganti adversans; unde quia displicet DEO & hominibus, reprehensione quidem apud utrosque digna est, non tamen propriè culpa aut peccatum, sed nexvs duntaxat dici debet. Deinde pariter notandû est, duplicis generis imperfectiones reperiri in talibus Personis, nam aliquæ sunt,

quarum cognitio ad Statum ipsarum melius cognoscendum, ipsarumque faciliorem directionem juvant, quales v. g. sunt regularum sub nullo peccato obligantium transgressio, omisio quorundam exercitiorum spiritualium, sensualis amor, & particularis amicitia, & similes; alia sunt, quarum notitia nihil aut parum ad praedictos fines juvat, quales sunt, quae, ut Charemon Abbas apud Cassianum coll. 11. c. 10. loquitur, etiam à sanctis Personis in terra adhuc versantibus per sermonem imprudentem aut incautum, per cogitationem, per ignorantiam, per oblivionem, per necessitatem, per voluntatem, per obreptionem &c. committuntur; in specie autem à P. Gobat in Alphab. Confess. n. 509. sequentes numerantur, contentum esse virtute vulgari; non parere DEO vocanti ad sublimius vitae genus; ea magni facere, quae mundus impensè diligit; solatia honesta atque commoditates etiam licitas in victu, vestitu &c. quaerere, optare, vel usurpare; non servare statuta communitatis, cuius pars est; incurium vel perfunctorium esse in rebus agendis; dicere aut facere adversantia civilitati, politiae, aut decoro, ut loqui perturbatè, aut precipitanter, coram aliis sedere pedibus decussatis, ambulare brachijs utrinque pendulis manu sinistra edere, non parere inspirationibus divinis, non praefigere bonum finem actionibus indifferentibus vel infimae virtutis, non accuratè servare modestiam aut mansuetudinem in omnibus; exiguam, etsi substantialiter sufficientem praeparationem ad ferre ad Confessionem, Communionem, & Sacrificium; non condolere infelicibus eventibus proximi; non esse sedulo addictum operibus mortificationis, bibere aut comedere absque necessitate, aut delectationis causa; curiosè inquirere ea, quorum cognitio nihil obest, aut prodest &c. His notatis Resp. cum C. Lugone, Dicastillo & aliis apud & cum P. Gobat. l. c. n. 510. non esse reprehendendas ejusmodi Personas, quae imperfectiones meas confitentur, & eas maximè, quae aut omnino à quibusdam Authoribus pro peccatis habentur, aut certè periculum peccati committendi conjunctam habent; quia, licet ejusmodi imperfectiones propriè non sint peccata, communissimè tamen later sub iis aliquod leve peccatum, & praeterea etiam probabilis doctrina Thomistarum locum in illis habet decentium, omnia opera ex se indifferentia non directa ad bonam

nam intentionem esse mala ob defectum hujus intentionis; imperfectiones autem utique non tendunt, aut referuntur ad bonum finem, atque adeò sub hac saltem ratione possunt esse materia confessionis; quod à fortiori locum habet, si tales imperfectiones contra remorsum conscientiae patrantur, aut regularum violationem continent, tum quia de his sapientissimi & sanctissimi viri se accusare consueverunt; tum quia, ut P. Dicastillo ait, vix aut ne vix quidem contingit, ut vir Religiosus sciens ac volens transgrediatur regulam in casu, in quo obligat, quin aliqua intercedat deordinatio voluntatis aliquid non satis conforme rationi, aut prudentiae, aut decetiae operantis, & moveatur ad id non ex honesto, sed solo jucundo objecto secundum sensum. Addit P. Gobat num. 512. quòd nonnulli Doctores generatim apud Suarez negent, transgressionem regulæ sine peccato accidere posse, eò quòd membrum cujusque communitatis obligetur in conscientia, ob conformitatem partis cum suo toto, servare statuta suæ communitatis. Totum hoc dubium brevius alij sic resolvunt, ajuntque discrimen supra indicatum inter imperfectiones observandum esse, & eas quidem, quarum notitia ad statum Penitentis melius cognoscendum, illiusque meliorem directionem juvat, omnino in confessione exprimendas videri; secus verò de aliis imperfectionibus sentiendum esse.

Qu. 6. *Quibus industriis aut mediis uti debeat Confessarius, ut Confessiones mulierum sine periculo & damno propriae salutis audire queat?* Resp. cum Lancizio opusc. 13. n. 442. sequentia tria media adhibenda esse. 1. Ut non nisi ex obedientia ad ejusmodi confessiones accedat, nisi necessitas aut charitas aliud exigere videantur, nam, ut rectè P. Balthasar Alvarez e. 5. dixit, securitas in agendo cum Proximo, quando ex obedientia fit, est valde magna, adeò ut si quis obediendi causa infames feminas accederet, ut illas lucraretur, cum iis agens, mundissimas haberet cogitationes, quasi esset aliquis Angelus. 2. Ut purissimam intentionem elicere studeat antè, quam ad confessiones audiendas accedat, sine ulla humana prætensione solatioli inde quærendi, formæque corporis oculos oblectandi, & similibus. 3. Ut omnem levitatem, & nimiam confidentiam aut libertatem studiosè devitare firmiter discernat; sic enim, cum ex sua parte fecerit, quod ab eo requiri poterat,

poterat, DEUS utique ex sua parte nihil deesse patietur, sed ipsum suâ gratiâ & præsidio contra omnia pericula, quæ ex talibus confessionibus ei creati possunt, fortiter defendet.

CAPUT XII.

**QUID IN CONFESSIOE MUTORUM ET
Surdorum observare debeat Confessarius.**

Q. 1. *AN Confessarius, si ratione Officii Pastoralis aut alterius tituli incumbat illi cura eiusmodi Personarum, debeat efficere, ut suo tempore confessionis Sacramentum peragant? Resp.* affirmative juxta communem Doctorum sententiam apud Dianam p. 5. tr. 6. re. 3. cum enim per nutus & signa confiteri possint, non apparet sufficiens causa, eisdem à communi præcepto confessionis eximendi.

Qu. 2. *AN si Pœnitens mutus sciat scribere, monendus sit, ut per scripturam id faciat? Resp.* ita quidem sentire communem sententiam, teste Busenbaum l. 6. tr. 4. c. 1. dub. 3. a. 2. Verum quia contrariam sententiam etiam probabiliter defendunt Navarr. Barbosa, Valentia, Naldus, Ledesma, Victoria, Sotus & alii, ideo per modum consilij potiùs, quàm præcepti monendum putarem, ut scripto confiteretur.

Qu. 3. *AN, & quomodo eiusmodi Pœnitentes examinare debeat? Resp.* 1. Si tantùm muti sint, ducendos esse in locum separatum, & nisi scripto confiteri possint, ac velint, monendos, ut ad quæstiones propositas nutu vel renutu capitis respondeant. **Resp. 2.** Si tantùm surdi sint, ad similem locum ducendos esse, & signum dandum, ut sectant genua, & peccata sua narrare incipiant, quorum si aliqua quocunque modo narraverint, poterit illis signum dare percutiendo pectus & oculos in cælum elevando, quo inquirat, num doleant de peccatis propter DEUM offensum, & tunc si simile signum vicissim & ipsi dederint, absolutionem impertiri, pœnitentiamque globulis Rosarij, aut digitis designare. Quod si legere nōssent, possent quæstiones necessariæ scripto à Confessario proponi, & pœnitentia eodem modo præscribi. **Resp. 3.** Si Pœnitens simul mutus & surdus sit, & ab aliis adducatur, studeat ante confessionem ab his edoceri, quomodo cum illis nutibus agere debeat, ut vim Sacramenti percipiat aliquo modo

modo, & aliqua peccata, quantum potest, signis declaret. Postea in locum separatum ducat, atque iisdem signis ac nutibus eum examinans, si unum, alterumve peccatum probabiliter intellexerit, ac doloris signum acceperit, sine scrupulo absolvat, cum in tali casu non requiratur confessio materialiter integra, sed formalis integritas sufficiat.

Qu. 4. *An, si eo tempore, quo obligat preceptum Confessionis & Communionis, non possit ex signis à surdo & muto datis certum peccatum cognoscere, eum nihilominus absolvere possit?* R. affirmativè Fernandez apud & cum Diana p. 3. tr. 5. re. 3. cum sufficiat, talem penitentem accessisse eo animo, ut se accuset de peccatis.

Qu. 5. *An eius modi mutus & surdus à natiuitate etiam ad Communionem, non solum in articulo mortis, sed etiam tempore Paschali, aut aliis in Festivitatibus ad Confessionem & Communionem admitti debeat?* Resp. Diana l. c. r. 7. probabiliter affirmativè contra Marchantium, & hanc suam sententiam aliquot argumentis probat. Alij tamen communiter prudentiæ Confessarii hoc iudicium relinquendum censent; certè tempore Jubilæi aut Festivitatibus, cum plenaria indulgentia conceditur, non videntur repellendi, si petant, inquit Georgius Teretius in Instruct. Idiot. c. 1. §. 3. f. 70.

Qu. 6. *Quid agendum cum eo, qui à Natiuitate cæcus, mutus, & surdus existit?* Resp. paulò antè citatus Author; talem præter Sacramentum Baptismi non posse ullum aliud Sacramentum recipere.

Qu. 7. *Quid agendum sit cum agro, qui sanus frequenter confessus fuerat, & communicarat, per morbum autem vel senium cæcus, surdus & mutus effectus est, & in articulum mortis incidit?* R. Teretius l. c. si adhuc apparet compos mentis esse, ita cum ipso procedendum, ut primò per signa ad Confessionem aliquibus nutibus faciendam adducatur, v. g. ipsius manu propria signum crucis in ipsius pectore faciendo, pectus eius percutiendo, manusque ipsius sursum jungendo. Ut autem Sacerdotem agnoscat, admovendam esse ipsius manum ad vestem Sacerdotalem, aut Superpelliceum & Stolum, ac de percipienda Eucharistia per circulum in ore ipsius factum edocendum. Quòd si verò hæc nihil prodesse adverterit, extrema unctio-

unctione, si quidem more Christiano vixerit, muniendum videri.

Qu. 8. Qualis penitentia eiusmodi Personis imponi debeat?

Res. 1. si legere nōrint, posse illis scripto imponi talē penitentiam, qualis aliis ejusdem conditionis Penitentibus præscribi solet. *Resp. 2.* Si non sciant, aut ob cæcitatem non possint legere, tum per Rosarij granā, aut digitorum numerum quantitas penitentia, seu numerus Dominicarum Orationum & Angelicarum Salutationum præscribi potest. *Resp. 3.* Si à natiuitate muti & surdi fuerint, ideòque nullam orationem nōsse credantur, tunc saltem Confessarius signum crucis formando, & pectus percutiēdo ad dolorem excitare, & hæc ipsa opera pro penitentia imponere potest, cum juxta probabilem sententiam non requiratur ad satisfactionem Sacramentalem, ut ex intentione complendi Sacramentum peragatur.

§. I.

Quid in Scrupulosorum Confessione sit observandum?

Qu. 1. Quid sit Scrupulus? *Resp.* Layman. l. 1. tr. 1. c. 6. eum nihil aliud esse, quàm imprudentem & irrationabilem motum, nullā vel admodum levi ratione subnixum. Vocatur autem scrupulus ob similitudinem cum lapillo parvo, qui scrupulus vocatur; ut enim hic calceo inclusus pedem excruciat ambulantis, sic hominum piorum conscientia inhaeret suspicio & anxietas de peccato commisso, eamque non modicè lanciat, lancinatque. Differt autem scrupulus ab erronea conscientia, quia hæc per iudicium falsum uni parti adhaeret, non item scrupulus, utpote qui inter duas partes contradictorias, velut inter sacrum & saxum constitutus gemit.

Qu. 2. Quomodo Confessarius conscientias scrupulosas cognoscere queat? *Resp.* ex sequentibus indiciis. 1. *Ex irrationabili formidine:* si videlicet quis seipsum interrogans, quæ sit causa anxietatis, nullum argumentum inueniat. Ita Bonnac. to. 2. d. 4. q. 4. pu. 8. 2. *Ex iudicio Confessarii, vel alterius viri docti,* qui iudicat aliquem esse scrupulosum. 3. *Ex modo confitendi:* si scilicet assidue hæsitando dubiè & perturbatè confiteatur. 4. *Ex modo orandi:* si videlicet anxie preca-

preatur, semper subsistit, eadem repetit. 5. *Ex pertinacia proprii iudicii*: si nempe Confessarius, aliisque viris doctis factum excusantibus non credit, & in omni re evidentem demonstrationem quaerit. 6. *Ex assiduis reflexionibus super suas actiones institutis*: hæ enim reflexiones, si cum anxietate, & timore peccati admissi fiant, manifestè conscientiam scrupulosam arguunt. 7. *Ex crebra dubitatione*: si scilicet etiam in rebus claris alios semper consulere cupit.

Qu. 3. *Quomodo se Confessarius erga scrupulosos in genere gerere debeat?* Resp. eum sequentes doctrinas observare debere.

1. Ordinariè studeat fovere & amare scrupulosum, & suavis verbis animare: ita enim S. Paulus Gal. 6. suavitè dicit: *Fratres, & si praoccupatus fuerit homo in aliquo delicto (vel tentatione) vos, qui Spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Subindò tamen oportebit etiam durius agere, vel simulare saltem austeritatem, maximè, si iudicij sui nimis tenax, & in aliis rebus laxus deprehendatur. 2. Gerat se erga talem hominem instar alicujus Apollinis Delphici authoritativè & resolutè respondendo sine ulla hæsitacione, nec suæ responsionis ullam afferat rationem. Dicat ergo illi clarè: *Nihil hoc, mittas ista securus, ne repetas, hoc facito, ego rationem reddam.* 3. Agrè illi aditum præbeat ad suos scrupulos & dubia proponenda, & si importunè urgeat, etiam verbis appositis absterreat, & penitus excludat. 4. Dubitationes illius semper in meliorem partem interpretetur; id enim fieri posse ex c. estote de regulis juris colligitur. 5. Media utilia ad scrupulos vitandos suggerat, è contrariis verò inutilia prohibeat, quæ utraque in sequenti quaestione assignabuntur. 6. Offerat illi regulas aliquas, quibus deinceps inniti, & sequè à scrupulis liberare queat. Quales itidem paulò post suggerentur. 7. Evertat fundamenta falsa & inania, quibus innititur scrupulosus, suosque scrupulos foveat, ac tuetur; quænam autem sint illa fundamenta, ex infra dicendis apparebit. 8. Præscribat illi certas formulas ac modos, quos in oratione, aliisque suis actionibus observare debet.

Qu. 4. *Quanam sint illa media utilia, quæ Confessarius scrupuloso suggerere debet?* Resp. sequentia. 1. *Oratio ieiunio, aliisque bonis operibus eum in finem oblati coniuncta*: quod remedium

diū meritō Cajetanus divinū vocat: nam scrupulosus sicuti similis est Evangelico Lunatico in hoc, quod, sicut ille modō in aquā, modō in ignem projiciebatur, ita ipse ab una cogitatione in aliam miserē jactetur; ita in hoc quoque cum eodem convenit, quod difficulter per aliud medium, quā per orationem curetur. 2. *Contemptus scrupulorum, & interdum operatio contra illos*: sicut enim, qui lignum distortum rectum facere cupit, illud in contrariam partem flectit; ita qui distortam per scrupulos conscientiam habet, in contrarium se inclinare debet, uti sapienter S. Ignatius in 5. not. pro scrupulis advertit. 3. *Obedientia*: quā scrupulosus instar Pueri se iudicio prudentis & docti viri submittat. Ita S. Bernardus Sacerdotem, qui ob scrupulos factum facere non audebat, curavit. Sed & S. Climacus grad. 3. narrat, hoc medio Monachum, qui viginti annis blasphemix spiritu tentabatur, & jeuniis, vigiliisque incassum se liberare à scrupulis conatus fuerat, liberavit, dum Seniori dicenti: *Super collum meum sit hoc peccatum: tu illud succipende*: obedivit. 4. *Humilitas*, quā suum iudicium spernat, & ab aliis consilium requirat; quod medium S. Augustinus epist. 250. suavit: uti & mortuus ille, qui, ut S. Antoninus i. p. sum. tit. 3. c. 20. narrat, alteri apparenti consilium adversus scrupulos petenti dixit: *Consule bonos, prudentesque viros, & acquiesce eis*. 5. *Otiū fuga*, ut honesta semper occupatione distento scrupulis attendere non vacet. 6. *Recta de divina bonitate opinio*: quemadmodum S. David ps. 72. suavit dicens: *Sentite de Domino in bonitate*: quod profectō non facit, qui DEVM tam durum ac rigidum sibi fingit, ut bonæ voluntatis hominibus peccata imputare tam severè, pœnāsque tam graves decernere velit.

Qu. 5. *Quenam sint media inutilia, quæ Confessarius scrupuloso prohibere debet?* Resp. sequentia. 1. *Frequens consilii petitio & recursus ad Confessarium*: nam, ut prudenter advertit Crombezius l. 1. de perfect. c. 13. hæc ægri-tudo est scabiei prurienti & mordicanti similis, cujus affricatio voluptatem quidem parit non modicam, sed morbum usque ad eò non sanat, ut potiùs eum recrudescere faciat, non sine magno periculo inflammationis admodum perniciosæ, & dolorem, pœnitudinēque improbæ voluptatis relinquit. 2. *Assidua super scrupulum suum reflexio*: ex qua sanè non alius fructus refer-

referunt, quàm ut magis, magisque semper intricetur, quem-
admodum avis in laqueos incidens hoc magis se implicat,
quò magis extricare se conatur. 3. *Confessionis repetitio*: de
qua idem, quod de duobus prioribus mediis sentiendum. 4.
Confessariorum crebra mutatio: quâ fit, ut non minùs diffici-
lis fiat curatio, quàm illius infirmi, qui, ubi Medicum amara,
sibi que ingrata remedia præscribere advertit, ad alium le-
viora; ut sperat, gratiora que præscripturum accedit. 5. *So-
rietatis & consuetudo agendi cum scrupulosis*: hoc modo eni-
m cæcus cæcum ducere conatur, ambo in foveam cadunt.
6. *Librorum rigidiorum lectio*: per hos enim directè oleum
subministratur, quo scrupuli non alantur duntaxat, sed magis
etiam, magisque semper invalescant.

Qu. 6. *Quas regulas Confessarius Scrupuloso offerre debeat,
ut iisdem se dirigere queat?* Resp. sequentes non parùm illi pro-
futuras. 1. Nec DEUS, nec Ecclesia suis præceptis intendi
quempiam obligare ad id, quod ei vix est possibile: in lege
autem nova moraliter impossibile habendum est non mo-
dò, quod absolutè fieri nequit, sed etiam illud, quod nimiam
difficultatem involuit, ut rectè Reginaldus l. 13. c. 12. ad-
vertit. 2. Non censendus est Legislatorem offendere, qui
secundùm illius mentem agit, etiamsi non agat secundùm
verba Legis ab eo lata; aut eam in benigniore potiùs sensu,
quàm duriore interpretatur, uti idem Author l. c. discurtit.
3. In dubiis vita & communis sensus proborum hominum
meritò potest pro regulâ vivendi adhiberi: unde quod illi
absque formidine peccati agunt, scrupulosus non tantùm po-
test, sed etiam debet interdum sequi, ut Laym. l. 1. tr. 1. c. 6.
docet. 4. In iis, quæ ideo mala sunt, quia prohibita jure hu-
mano, excusat consuetudo rationalis, & legitimè præscri-
pta; imò rationalis tantùm, & scienter tolerata, Legislato-
re non reclamante, cum possit. Ita communis. 5. Præcepta
affirmativa & positiva non secundùm rigorem, sed Epikiam
interpretanda sunt, uti Silvester, Azor, & alii apud Layman-
sentiant. 6. In quovis casu is, qui omittit facere, quod lex
proponit, excusari potest à mortali, si bona fide & absq; con-
temptu, justa de causa existimet, se non peccare mortaliter eâ
omissione; nullo modo omissurus, si peccatum esse putaret,
ut meritò Paludan. Silv. Cajet. Navarr. docent.

Qu. 7.

Qu. 7. *Quenam sint illa fundamenta Scrupulorum, quae Confessarius evertere debet, & quomodo id praeſtare poſſit?* Reſp. ſequentia ferè ab Authoribus offerri. Primum à S. Gregorio mutuatur, alicubi dicente, bonarum mentium eſt, ibi etiam culpam agnoſcere, ubi non eſt. Hoc fundamentum ut evertat Confessarius, oſtendat ei ex Navarro, eſſe quidem hoc ſignum bonarum mentium, ſed non perinde etiam bonum eſſe ſignum; ſicut albugo veteri vino innatans, ſignum quidem eſt boni vini, non tamen eſt bonum vinum. Deinde verò etiam ipſi ſignificet, non eum eſſe ſententiæ illius ſenſum, quem ipſi ſibi fingunt, ſed hunc potiùs, quòd bonarum mentium ſit, tempeſtivè prævidere culpam, antequam committatur, ejuſque occaſiones ſedulò vitare. Alterum fundamentum ex regula à S. Ignatio pro electione faciendâ præſcripta deſumunt, quâ jubet S. Pater, ut electurus apud ſe conſideret, quid in morte à ſe electum vellet. Unde inferunt: atqui ego ſi morti proximus forem, non auderem cum hoc ſcrupulo mori &c. Ad hoc fundamentum evertendum ſignificet illi, quòd, ut rectè Cordubeniſis & alij advertunt, in illo articulo optimè etiam facturus eſſet, ſi ſcrupulum ſuum contemneret, ſeq̃, cum magna fiducia in finè divinæ bonitatis projiceret. Præterea verò multa eſſe, quæ in illo articulo facere quis tenetur, ad quæ tamen extra articulum illum non obligatur; hinc in illo caſu diſponere de domo ſua, Sacramentum Eucharistiæ ſumere, & juxta multos etiam contritionem perfectam elicere tenetur, quæ tamen extra articulum ſine peccato omittere poteſt. Tertium fundamentum ex noto illo Siracidiſ c. 3. effato petunt: Qui amat periculum, peribit in illo. Sed & hoc fundamentum facilè evertet Confessarius, ſi oſtendat, non eſſe periculum labendi in peccatum, ſi quis regulas à doctis, prudentibus, & religioſis viris traditas ſequatur, ſuumque illorum judicio ex ſincero humilitatis & obedientiæ ſtudio ſubmittat, ut rectè Reginaldus l. 13. c. 12. num. 124. advertit.

Qu. 8. *Quomodo in ſpecie cum iis, qui de peccatis iam in prioribus aliqua confessione explicatis anguntur, timèntque, ne ea ſua explicarint, agendum ſit?* Reſp. ſequentes doctrinas & induſtrias ei obſervandas eſſe. 1. Seriò illis prohibeat omnem confessionem generalem illorum peccatorum; imò & obli-

vionem

tionem eorundem omnimodam imperet, etiamsi non meminissent, se illa fuisse confessos; nam non meminisse, non est rationabilis causa dubitandi, ut doctissimi Theologi sentiunt, cum nec aliorum nostrorum factorum omnium semper meminimus. 2. Ostendat illis, quam securè possint omittere talium peccatorum confessionem; cum in primis Authores probatissimi, in specie verò Laym. Navarr. Medina, Saa, Henriquez, Coninck, doceant, id facere eos posse, & debere. Deinde verò dubium in conscientia scrupulosa apud alios sit moralis certitudo. Et tandem, etiamsi aliqua non esset confessus, non teneatur cum tanto suo damno omnimodam confessionis integritatem procurare, utpote à qua minores sæpe difficultates excusant, uti Coninck 2. 2. p. 2. d. 7. n. 68: cum aliis notat. 3. Suadeat illis, ut consilium S. Bernardi in s. de SS. Petro & Paulo datum sequantur, dum ait: ad Dominum conversos non nimium cruciet præteritorum peccatorum conscientia, sed tantum humiliet vos, sicut & ipsum Paulum. Quod idem alii SS. PP. & Ascetæ confirmant, dum suadent, ut omnium, quæ retrò sunt, cum S. Paulo obliviscentes, ad anteriora nos convertamus, & ex præteritis peccatis triplicem hunc fructum, scilicet ruborem (seu humiliationem & vilipensionem nostri) dolorem, & fervorem, quo præteritas negligentias resarcire, & tempus elapsum, malè que impensum quasi redimere quisque studeat, retineamus.

Qu. 9. *Quomodo cum in agere debeat Confessarius, qui perpetuò riment, ne confessiones suas ordinarias ritè non instituant, & peccata sua satis non explicent?* Resp. sequentia documenta ei ad hunc finem servitura. 1. Hortetur eos, ut sibi persuadeant, Christum Dominum instituisse hoc Sacramentum non pro carnificina, sed solatio Peccatorum, atque adeò ad usum illius non requiri summam diligentiam, sed mediocrem sufficere; hinc ea duntaxat scrupulosum confiteri debere, quæ manifestè cognoscit esse peccata, uti Vasq. d. 62. c. 2. Laym. l. 1. tr. 1. c. 6. n. 2. Sanch. l. 1. mor. c. 10. n. 82. Azor & alii docent; imò Tannerus ea tantum vult confiteri ipsum, quæ se fecisse, jurare possit. 2. Si dubitare se dicant, an hanc vel illam culpam expresserint, non facilè credat illis, sed interdum, si aliam materiam præter scrupulos non afferant, eosdem sine absolutione ad Communionem dimittat, ut hanc ratione

Instr. V,

N

tione

tione discant pluris facere obedientiam, quam suas stolidas observationes. 3. Suadet nonnemo, ut jubeat ejusmodi Penitentes sua peccata scripto explicare. Quod si autem se determinare non possint, quid scribendum sit, prudens Confessarius interdicit eis omne examen, jubeatque solum ad interrogata respondere; quâ ratione P. Simon Felix doctissimus Theologus testatur, multos ad desperationem usque anxios liberatos esse. 4. Moneat illos, ut non nimis angantur, si, ubi conscientiam suam discussissent, vix ullum peccatum memoriae occurrat, sed potius meminerit, conscientiam prudenti Pædagogo similem esse, qui, licet interdum minora delicta dissimulet, nullum tamen eorum, quæ graviora sunt, & majus damnum creare possunt, incorrectum dimittit. Noverint quoque, ejusmodi cæcitate spirituales ad probationem à DEO immitti, sicut olim cæcitate corporale ob similem finem Tobia seniori immisit; dent ergo operam, ut cum eodem Sancto patienter eam supportent, sicque efficiant, ut de ipsis quoque dici possit, quod de Tobia S. Scriptura his verbis meminit: *Non est contristatus, quod plaga cæcitate obvenit ei.*

Qu. 10. *Quomodo agere debeat Confessarius cum illis, qui variis tentationibus vexati, immoderate timent, ne assensum prabuerint, aut morose delectati sint, sicque mortiferum peccatum admiserint?* R. 1. & ante omnia significet illis, quod Suar. Valq. Granad. Azor, Layman & alii docent, ac suadent, nimirum ut Scrupulosus nunquam credat, se mortaliter peccasse, nisi certò & evidenter sciat, imò etiam jurare queat, se lethiferum peccatum admisisse; cui sententiæ tantò firmitus adherere potest, quantò graviora sunt fundamenta, quæ eam probabilem atque securam esse persuadent: nam inprimis tanta est peccati mortalis malitia, ut vigilem latere non possit; nec, ut Richardus de S. Victore ait, committi queat sine gravi corruptione sui, sine gravi læsione Proximi, sine magno contemptu DEI; quis ergo credat, tantum damnum, tantamque læsionem mox corrigi, & omnia restitui in integrum? DEUM statim super omnia amari, qui antea vilissimæ rei postpositus, & insuper habitus fuit? P. Jacobus Alvarez certè p. 3. l. 1. c. 12. §. 5. ait, consensum in tale peccatum tam impium esse, ut, si quis statim post factum dubitet, an deliberatè

consen-

consenserit, vel facti statim pœniteat, probabiliter judicare possit, se non consensisse, cum non soleat animus à DEO averfus tam subito ad DEVM converti. Deinde, cum malitia mortalis formaliter in mala voluntate consistat, ipse autem timor peccati, quo assiduò vexantur scrupulosi, satis arguat ipsos bonam voluntatem habere, meritò ex hoc etiam capite timorem peccati admissi deponere possunt; maximè, cum ipsa etiam anxia formido sufficientem libertatem non minùs, ac aliæ passiones, tollere soleat. & præterea etiam experientia doceat, Scrupulosos in gravissimis etiam tentationibus in peccatum mortale non consensisse, atque adedò credibile sit, DEVM in obscuris tentationibus eos non dereliquisse, qui in multis gravioribus & manifestis periculis adfuit. Et tandem illud etiam accedit, quòd dubia de Proximo nobis occurrentia in meliorem partem interpretari debeamus: cur ergo non idem quoque privilegium in suum favorem & commodum usurpare Scrupulosus queat? 2. Suggestat eis doctrinam à S. Henrico Susone propositam, qui, cum priùs de hac materia loquens dixisset: *Vel una tantùm vana complacentia suiipsius hominem in DEI oculis deformiorem reddere possit, quàm vel mille, licet pessima, tales incidentia, subdit: Verumtamen latet in isto occulta quadam pressura, qua est subtilissimus quidam & acutissimus funis, qui hic contingere possit; & hac est, quando homini prava aliqua cogitatio incidit, & ipse fortassis cum delectatione ei intendit, atque suiipsius oblitus non ita celeriter se avertit; & tunc putat, se cum voluntate & deliberatione illi intendisse, & seipso neglecto peccasse mortaliter. Sed absit, ut hoc ita credamus; concurs namque multorum etiam Sanctorum sententia est, rationem sæpe per importunas incidentias in delectationem per venire, idque satis bonâ morâ, & longo tempore, antequam ratio suiipsius per maturam deliberationem plenè compos fiat, & tunc ea recipere, vel aversari, peccatum admittere, vel respuere potest. Quod cum ita sit, nequam in talibus peccatum mortale homines boni metuere debent, si sana atque Catholica doctrina fidem adhibere volent. Augustinus namque adedò voluntarium peccatum esse dicit, ut, si voluntarium non est, peccatum nullo modo sit habendum. Hucusque Suso sapienter & solidè. 3. Narret ipsdem, quod Christus olim S. Catharinæ Senensi dixit, teste Surio. 20. April.*

dum eandem turpissimas phantasias & Spectacula à Dæmoni-
bus objecta intueri coactam, & ne iisdem delectata fuerit, ti-
mentem visitavit, & dum illa quæreret: Eho, mi dulcissime
Sponse, ubi eras, quando me tam fœdæ cogitationes vexa-
bant? respondentem audivit: in corde tuo Spectator aderam,
& ne talia phantasmata tibi placerent, meâ præsentia effi-
ciebam. Sed & id, quod S. Birgittæ similibus tentationibus
vexatæ quondam dixit, narrâsse proderit: Hæc, inquiebat,
vera est iustitia, ut, sicut prius delectabar in vanitatibus
mundi contra voluntatem meam, ita nunc tibi molestæ sint
variæ, perversæque cogitationes contra voluntatem tuam.
Veruntamen time iudicium meum moderatè & cum discre-
tione, firmiter semper confidens in me DEO tuo. Certissimè
enim scire debes, malas cogitationes, quibus mens relucta-
tur, & detestatur, esse purgationem atque coronam, uti fufius
Alphonsus Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 29. refert.

Qu. 11. *Quomodo cum iis agendum sit, qui ob peccata gravia
commissa perpetuò timent, ne defectu competentis satisfactionis
iacturam beatitudinis pati cogantur?* R. In primis tali homini
magnitudinè misericordiæ divinæ tū aptis ex S. Scriptura sen-
tentiis, tum exemplis illustribus S. Mariæ Magdalenz, La-
tronis boni, SS. Petri & Augustini, aliorumque plurium de-
monstret. 2. Pariter ostendat, quam grata sit DEO fiducia
de bonitate ac misericordia illius concepta; & è contrario
quantopere diffidentia ac desperatio eidem displiceat. Ad
priorem partem demonstrandam servire illi poterit id, quod
olim Christus S. Gertrudi dixit, teste Blofio c. 11. monil. Spir.
*Fiducia illa; inquiebat, quam homo in me solo collocat, credendæ,
scire, posse, & velle me ipsum iurare fiducialiter in omnibus, cor
mihî transfigit, ut non possim non ei gratificari, & manus porri-
gere ob gustum, quem ex eo, quòd totus à me pendet, sentio.* Pro
posteriori parte serviet memorabilis illa S. Augustini senten-
tia, dum c. 22. manual. ait: *Qui de venia peccatorum desperat,
negat DEVM esse misericordem. Magnam iniuriam DEO facit,
qui de eius misericordia desperat.* 3. Significet illi pro solati-
o, quod S. Catharina Senensis in quadam Epistola dixit: *Si
omnia peccata simul in uno homine coacervata essent, non debe-
rent eum impedire, quò minus fructum Sanguinis Filii DEI in se
reciperet, modo vera fides & spes misericordia DEI in eo reman-*
neret.

neret. Cùm peccatum solummodo in mala, peruersaque voluntate situm sit, homo videns bonam voluntatem sibi concessam esse, debet omni confusione Spiritus abiecta perseverare in sanctis operibus & exercitiis, ambulareque in lumine gratia, quam invenit in se absconditam in munere DEI, qui bonam voluntatem in se conservat. Debet Diabolo confusionem vel desperationem suggerenti respondere: si gratia DEI in me non esset, etiam bona voluntas non esset, & ego pravas suggestiones tuas sequerer. Iam verò confido in Domino meo IESU Christo, qui me semper intuebitur, ac salvū faciet propter immensam misericordiam suam. 4. Non parùm etiam conducet, si consolatoria illa Blosij c. 8. instit. spirit. sententia ei proponatur: Præstat, inquit, omnino post peccatum admissum mox reverti, quàm diu in peccato discutendo occupari. detinerique; neque enim contracta dissimilitudo meliùs, quam in DEO deponetur. Revera cùm DEVS sit fons infinita misericordie, non potest non succurrere, & ignoscere ei, qui ipsum humiliter & confidenter invocat, etiamsi is peccata totius mundi commississet. Fasciculus ligni in ignem ingentem coniectus non tam repente incenditur, quàm paratus est DEVS veniam dare pro peccatis suis verè dolenti. Inter bonitatem DEI, & peccatorem penitentem nullum prorsus medium est. Et in Specul. c. 9. idem confirmans ait: Sancti Patres affirmant, eum, qui DEI erga se iustitiam perinde ut misericordiam ad aeternam eiusdem Domini sui gloriam exosculatur, ac diligit, tam faciliè peccatorum suorum omnium & penarum illis debitaram plenam veniam obtinere, quàm faciliè una aqua guttula in ardenti fornace consumitur. 5. Denique suadeat, ut illius Ascetæ sequatur exemplum, cui cùm Dæmon suggereret, ipsum damnatum esse, bene est, respondit, cùm ergo DEUM velut summum Benefactorem meum in altera vita laudare & amare ampliùs non possim, in hac saltem pro viribus amabo & laudabo, ut hac ratione pro infinitis beneficiis aliquatenus saltem gratum me ostendam. Quo dicto mox omnis tentatio Dæmonis evanuit.

Qu. 12. Quomodo cum iis agere debeat Confessarius, qui ob quotidiana, leviâque peccata nimium anguntur? Resp. 1. Sapientissimam illam, solatiique spiritualis plenissimam sententiam Blosij illis proponat, qui c. 8. instit. spirit. sic ait: Asceta propter defectus, quos nulla ratione in se devincere potest,

non perturbetur, sed DEO se resignans reputet illos veluti fructum esse, quo conspersus ager anima sua uberiores fructum affert. DEVS enim naves aliquos spirituales, & modicum quid reprehensibile etiam in charissimis Electis suis saepe relinquit, qui ut plurimum ad iram & vehementiam proniores sunt, vel primorum motuum molestia longo tempore fatigantur, ut sibi & aliis cogniti humiliantur, indeque gratia, quam à Domino acceperunt, velut ignis sub cinere occultetur, ac melius conservetur. Sæpenumero accidit, ut hi, qui irresignati sunt, & grandes in oculis suis, viriliter in se primos motus compescant, & fortius adversa quaque extrinsecus perferant, quam humiles & verè resignati DEI Amici. Isti enim secundum inferiorem hominem tranquilli in adversis permanent, sed secundum sensualitatem plerumque turbantur, atque penas exhorrent. Igitur Asceta roget Christum, ut non omnem suam imperfectionem suppleat. Si longanimis fuerit, tandem ab ipso Christo istud intus audire merebitur: Gratias tibi ago, Fili, quod defectus tuos ad finem usque patienter tolerando, mecum crucem meam portaveris. 2. B. Aloysij exemplum proponat, qui, ut in vita ejus legitur, si quid se deliquisse cognoscebat, non nimiam tristitiam contraherebat animum, sed semet ad preces Domini proiciens, seque confessione expiaturum peccatum decernens, animoque dolens acquiescebat. Dicere item solebat, nimium de levibus erratis affigi, indicium esse Hominis semet ignorantis, qui enim se nôrit, non posse esse nescium, hortum suum tribulorum ac spinarum suapte sponte feracem esse. 3. Præcipiat illis, ut totum caput l. 3. c. 57. ex lib. de imit. Christi legant, sed illa præcipue verba sibi à Christo dicta existiment: Anima quior esto, & ad maiorem sustentiam accingere. Non est totum frustratum, sed te sapius percipis tribulatum, & graviter tentatum. Homo es, & non DEVS: caro es, & non Angelus. Quomodo tu posses semper in eodem statu permanere, quando hoc defuit Angelo in celo, & primo Homini in Paradiso? ego sum, qui moerentes erigo sospitate, & suam cognoscentes infirmitatem ad meam proveho divinitatem. 4. Revocet eis in memoriam, etiam sanctissimas quasque Personas olim in terris viventes variis ejusmodi peccatis fuisse obnoxias, id quod pulchre S. Gregorius in illa verba Job: Obtenebrentur stella eius caligine: indicat, dum sic loquitur: Stella huius noctis caligine obtene-

obtenebrantur, quando & hi, qui magnis virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid sustinentes retinent, ut, etsi iam magna vitæ claritate luceant, tamen adhuc noctis reliquias volentes trahant. Quâ ob causam verò ejusmodi defectus Deus relinquat, clarè olim alicui Personæ devotæ indicavit, dum de defectibus S. Gertrudis loquens eidem dixit: *Electa huius mea, qui videntur defectus, in se plus vocari possent anima profectus. Nam gratiarum abundantiam, quam in ea continuè operor, vix humana posset fragilitas à vento inanis gloria tueri, nisi virtutes eius cognitioni sub defectibus absconderentur. Nam quomodo ager, quando fuerit simo pinguiori impinguatus, eò quoque ditiozem necesse est, reddat segetem; ita hac quoque, ex cognitione suæ infirmitatis, abundantiozem mihi refert fructum gratiarum actionis. Eam ob rem quoque pro singulis defectibus, unde se adeò humiliat, singula ei largitus sum dona, huiusmodi videlicet, quibus in oculis meis omnem valeat imperfectionem abolere. Nihilominus tempore opportuno, cum omnes defectus ei mutaverò in virtutes, ut splendidum lumen anima eius fulgebit.* 5. Ostendat illis, quemadmodum Mater aliqua Filiolo infirmitate laboranti, si fortè cadat, potiùs compatitur, & ad eundem elevandum accurrit; ita DEVM Amicis suis & Filijs ex fragilitate in peccatum leve cadentibus non tam graviter indignari, quàm compati, & ad surgendum offerre auxilia. 6. Moneat illos, ut, sicut equi, dum cespitant, ex cespitatione causam alacriùs currendi sumunt, ita & ipsi ex lapsu occasionem fervoris sui augendi desumant, sicque in stadio perfectionis velociùs pergant. 7. Ostendat illis, etiam profectum in virtutibus ac perfectione non omnino impediri, si post lapsum statim iterum surgant, perinde ferè ac æger ad certum locum tendens, etsi interdum ex infirmitate corruat, si tamen mox iterum surgat, & ambulare pergat, semper plus proficit in itinere, propinquiùsque fit termino præfixo.

Qu. 13. *Quomodo agere debeat Confessarius cum iis, qui in oratione perpetuis anguntur scrupulis, & ne legitimè verba pronuntiarverint, aut non debitam certè attentionè adhibuerint, timent?* R. 1. Severè illis prohibeat, ne quidquam repetant, sive bene, sive malè recitasse sibi videantur, sed morem potius Mulierum fila girgillo (mit dem Haspel) deducentium

aut convolventiū sequantur, quæ, si fortè filū abrumpatur, nō propterea priora etiam fila deducunt, aut convolvunt, sed initium abrupti fili quærunt, & ab eo laborem denuo auspicantur. 2. Interdum etiam adhibere potest remedium à S. Ignatio adhibitum, qui Patri cuiusdam horas suas ob scrupulos morosè nimis recitanti clepsydram obtulit, & ut eà elapsà orationem abrumperet, præcepit, quo consilio effecit, ut Pater ille, ne quidquam ex horis omitteret, celerius eas decurreret. 3. Revoce illis in memoriam, quòd, etsi communior & verior sit sententia Theologorum etiam internam attentionem requirentium ad Horarum Canonicarum recitationem, probabilis tamen etiam, quàmque turò secundum Laymannum & Lessium sequi possit, sit sententia Navari & aliorum, nullam attentionem internam requirentium, sed externam tantum, quæ omnem actionem impossibilem cum attentione interna excludat, licet animo voluntariè quis distrahatur; quantò minùs ergo involuntariæ distractiones, quales plerumque ejusmodi scrupulosi patiuntur, obstabunt obligationi ad recitandas Horas Canonicas implendæ. 4. Suadeat, ut, si fieri possit, cum Socio eas recitent, sic enim partim exemplo, partim pudore retrahentur à repetitione verborum semel prolatorum. 5. Ostendat illis, quàm parùm finem per scrupulos suos intentum obtineant ejusmodi repetitione: quid enim aliud quærunt, nisi ut debitam DEO reverentiam ac convenientem laudem exhibeant, sicque magis eidem placeant? atqui per crebras adeò repetitiones contrarium potius effici vel ipsum rationis lumen dicat: quis enim inter Homines Oratorem de laudibus Regis in ejus præsentia dicturum, si eadem semper verba repeteret, non offensam potius Regis, quàm gratiam promeriturum credat?

Qu. 14. *Qua adhortatio ejusmodi Personis scrupulosis facienda sit in fine confessionis?* Resp. potissimum ad fiduciam in divina bonitate concipiendam, & obedientiam Confessariis, aliisque Patribus Spiritualibus exhibendam animandos esse. Quòd si tamen & hæc, & alia similia media nihil proficere Confessarius advertat, acrius interdum increpare eos oportet, atque apertè dicere, ejusmodi pertinaciam non nisi ex occulta superbia proficisci, hancque graviolem esse omnibus culpis per

pei scrupulos in memoriam redactis, nec posse illos curari, nisi se alteri submittant,

§. II.

Quid in Generalibus Confessionibus sit observandum?

Qu. 1. *Quid, & quotuplex sit Confessio Generalis?* Resp. 1. Per Confessionem generalem hoc loco nihil aliud intelligi, quam repetitam sui ipsius accusationem de peccatis jam semel in Sacramento pœnitentiæ explicatis factam. Resp. 2. Hanc confessionem rectè ab aliquibus in obligatoriam seu necessariam & spontaneam, seu non necessariam dividi. Obligatoria est, quæ ob defectum essentialem in præcedentibus confessionibus commissum facienda. Spontanea est, quæ ad majorem animæ profectum ac solatium sponte peragitur, & iterum subdividi potest in eam, quæ ab uno vel pluribus annis fieri solet; & eam, in qua peccata per totam præcedentem vitam commissa explicantur.

Qu. 2. *Quando Confessio generalis obligatoria facienda sit?* Resp. in sequentibus casibus. 1. Quando Confessiones particulares sua integritate caruerunt, omisso in iis aliquo peccato mortali, sive ex verecundia, sive ex ignorantia affectata, sive ex defectu mortaliter culpabili conscientia non satis examinata. 2. Quando illis dolor sincerus & serius aut propositum emendationis, & occasiones vitandi, aut, si necesse sit, illata damna reparandi defuit. 3. Quando Confessiones particulares factæ fuerunt Sacerdoti, in quo neque Jurisdictio, neque sufficiens facultas aut intentio absolventi fuit. Extra hos casus neque Christus, neque Ecclesia quemquam obstrinxit, ut idem peccatum iteratò subjiceretur, cum peccatum semel in confessione explicatum, & per legitimam absolutionem dimissum, penitus abolitum sit, nec salutem impediat, atque ad eò confessionem ulteriore non indigeat.

Qu. 3. *An non etiam repetitionem peccatorum imperare debeat Confessarius, si non meminerit ampliùs distinctè peccatorum aut numeri in confessione explicati?* Resp. non esse necessariam distinctam memoriam (quis enim in confessione per multas horas aut dies facta hanc sibi polliceri possit?) sed sufficere confusam notitiam statûs pœnitentis, quæ in eo consistit, ut

saltem aliquantulum meminert, plura diversæ speciei peccata mortalia à Pœnitente fuisse commissa, eaque in numero satis frequenti esse patrata; hæc enim memoriâ stante jam sufficienter judicare potest Confessarius, hunc esse graviozem Peccatorem, quàm alios, adeoque majori etiam Pœnitentia dignum.

Qu. 4. *Quid facere debeat Confessarius, si se vel somnolentiâ, vel distractione animi abreptum, aut ob subtilem nimis vocem Pœnitentis advertit, nec confusam etiam peccatorum explicatorum cognitionem habere?* R. in tali casu eum per paucas interrogationes de gravioribus speciebus peccatorum, si id commodè fieri poterit, sibi denuò revocare debere in memoriâ peccata à Pœnitente in confessione exposita. Quòd si aliqua certò mortalia prorsus non intellexerit, vel aliquas interrogationes, quæ sibi necessariae videbantur, omisit, præcipuè in longis confessionibus, tum ita se gerere debet, ne onus Pœnitentis nimis grave efficiat, atque adeò ipsam etiam confessionem odiosam reddat; quam ob causam frequenter excusari poterit ab integritate materiali exactè procuranda, cum enim Christus Dominus in hoc SS. tribunali Judices constituerit homines, nec pro tanta multitudine ac varietate Judicum, quam exigebat multitudo Pœnitentium, summam diligentiam exigere debuerit, hoc ipso normam hujus judicii humanæ conditioni ac fragilitati accommodare voluisse videtur.

Qu. 5. *Quid facere debeat Confessarius, si reperiat Pœnitentem in præteritis confessionibus minus integrè confessum fuisse, sive ex propria, sive ex aliorum Confessariorum incuria, v. g. non exprimendo numerum, aut speciem mutantes circumstantias?* R. Pellizarius c. 10. tr. de mon. n. 197. Si Pœnitens sit prudens & vivacioris ingenii, ita ut credi probabiliter possit, ipsum præmissis diligentiori examine exactius confessurum esse propria peccata, ac suppleturum defectus commissos in præcedentibus confessionibus, tum Confessarius illum dimittere debet, ut propriam conscientiam discutiat rediturus ad confessionem faciendam, si absque infamiæ aut scandalali periculo absolvi queat; secus enim à peccatis explicatis directè, indirectè verò ab aliis distinctè non explicatis solvendus, & ut reliqua alio tempore post accuratum examina

confiteatur, monendus esset. R. 2. Si rudioris & hebetioris sit ingenii, ita, ut post plura examina non melius peccata sua agniturus credatur, quam si statim à Confessario interrogetur, tunc communiter non debet dimitti, sed statim examinari. Quam doctrinam confirmans Laym. l. 5. tr. 6. c. 9. n. 4. ait: *Interdum si appareat magna hominis ruditas, Confessarius contentus esse potest enarratione peccatorum à proxima confessione factorum, præcedentium autem rudi aliqua cognitione, præsertim si aliorum præsentium copia adsit; quandoquidem rudis ille propter oblivionis ignorantiam non crassam capax est absolutionis, ut pono, ad perfectiorem autem dispositionem hæc & nunc facile adduci non potest.* Sed & doctrina Fagundez de præc. Eccl. 2. l. 1. c. 4. bene notanda est, dum sic loquitur: *Rustici homines, qui agresti modo confitentur sine numero ac diligentia, cogendi non sunt repetere confessiones indoctis Parochis factas; cum enim bona fide confiteantur, & uniformem vitam rationem habeant, statim ex confessione unius anni conicit prudens Confessarius, quantum reliquis annis peccarint, & quem numerum peccatorum commiserint.*

Qu. 6. *An, si Pœnitens omisit aliquod peccatum explicare, in confessione, & interea multas alias confessiones bona fide fecit, in quibus nihil illi incidit de hoc peccato exponendo, teneatur postea omnes repetere?* R. negativè cum Pelliz. in tr. de Monial. c. 10. n. 206. & Joanne de Lugo ib. cit. quia, cum supponatur Pœnitens non recordari sacrilegii commissi, aut obligationis suæ ad repetendum illud peccatum, omnes intermediæ confessiones validæ fuerunt.

Qu. 7. *An, si Pœnitens aliquod peccatum ut dubium confessus est, debeat illud denuo confiteri, si certò à se commissum deprehendit?* R. ita quidem sentire communiter Authores; verùm quia contrariam sententiam tenent Arriag. d. 31. Antonius à S. Spiritu, Vidal. Caramuel, Tancredo, Merolla, Leander, & plures alij RR. eandemque valde probabilem reputant Tambur. in meth. confess. l. 2. c. 1. n. 24. Pellizar. c. 10. n. 198. C. Lugo d. 16. s. 2. §. 4. n. 92. potest Pœnitens hanc sententiam sequi, licet contrariam ut communiorem sequendo rectius faciat.

Qu. 8. *An, & quibus generalis confessio spontanea sit suadenda?* R. 1. De hac confessione bene imprimis observandum esse

esse, quod P. Paulus Barry in Hagioph. 2. diei dissertat. matur. prudenter advertit, dum ait. reperiri nonnullos Confessarios, qui auditâ semel iterumque aliquâ personâ statim hâc illi mentem injiciunt, aut Zelo supervacaneo, & imprudenti, aut specie imbibendæ notitiæ melioris, ut commodius animas regant, aut aliis de causis, quas ipsi quidem sciunt, sed DEUS non approbat. Si tales Pœnitenti occurrant, non moveri debere, sed gratias pro labore, quem impensum vellent, habendas. Alias verò animas sic constitutas esse, ut quotannis, si earum arbitrio res permitteretur, duodecim confessiones generales facerent, aut certè quoties novum Confessarium nascuntur, sive ex tacita quadam & occulta complacencia vitæ præteritæ, sive ex scrupulis conscientie semper anxie, & neque per centum confessiones generales pacandæ. Et has quoque non sequendas, rectè cit. Author advertit, sed eos potius, qui confessionem à tota vita non faciunt, nisi vel ratio Congregationis, aut Religiosi Statûs initi, vel specialis quidam internus instinctus, vel tempus aliquod speciale, v.g. singulare Jubilæû, aut fatalis morbus id requirat. Postea verò ubi semel ejusmodi generalẽ confessionẽ accuratè fecerint, eorundẽ peccatorũ memoriam deponentes, annuã vel semestrem ab ultima confessione faciunt; atque ex tali confessione fructum maximum, & ineffabilem animi lætitiã colligi quotidiana testatur experientia; certè citatus Barry aperte fatetur, se pro usu, quem earum rerum habuit, testari posse, se animas reperisse post confessionem talem tam quietas ac contentas, & in talibus vitæ melioris decretis, ut ipsi lacrymas elicerent solatii testes, tacitumque sensum ingererent, fore se felicissimum, si vel semel talem confessionem pari fructu, similibusque affectibus peragere posset. Resp. 2. Duobus potissimum generibus hominum suadendas aut permittendas non esse confessiones generales. Primum est scrupulosorum, utpote quibus ejusmodi confessio adedò non medetur, ut potius sit tormentum, periculosumque præcipitium. Alterũ genus eorum est, qui turpem & fædam inter libidines vitam traxere, nam his quoque commemoratio ac recordatio vitæ præteritæ valde periculosa est; timendum quippe, ne sub specie pietatis ac devotionis Dæmon eos in veteres impudicitias laqueos involvat, ita, ut communiter fariùs sit, ut peractâ semel

mel seriâ harum rerum confessione, non amplius meminerint, neque loquantur de illis nisi generatim & cum horrore, detestatione que, uti à movendis sordibus abstinemus.

Qu. 9. *Quid observandum specialiter sit, ut eiusmodi confessiones generales ritè ac fructuose instituantur?* Resp. sequentes doctrinas non parùm profuturas. 3. Itaque & ante omnia semper ob oculos habendus est finis, ob quem eiusmodi confessio instituitur, qui quidem triplex est potissimùm. Primus, ut, si quid in superioribus confessionibus vel circa dolorem, vel ipsam accusationem, vel propositum omissum, vel non accuratè satis peractum est, per eiusmodi confessionem compensetur. Secundus est, ut per accuratiorem eiusmodi discussionem conscientia plenior, certiorque sui ipsius, ac status animæ suæ notitia acquiratur. Tertius & præcipuus est, ut, dum universa peccata in uno quasi cumulo conspiciuntur, Pœnitens ad majorem dolorem, confusionem, satisfaciendi studium, fervorem ac amorem stimuletur, sicque & ipse cum S. Maria Magdalena advertens, tam multa peccata sibi remissa esse, incipiat diligere multum. 2. Ut ea, quæ confessionem præcedere solent, puta discussio sui, dolor, propositum emendandæ vitæ &c. cum majori accuratione ac fervore peragantur, considerandò motiva ad eiusmodi dolorem excitantia; item causas & radices peccatorum, uti & media ad eiusmodi radices evellendas conducentia, id quod commodè per secessum unius, alteriusve diei effici potest. 3. Ut ipsa sui accusatio eâ humilitate, sinceritate, integritate, ac intensione peragatur, quâ eandem perageremus, si jam nunc discedendum animæ ex corpore, ratioque totius vitæ supremo ac severo Judici reddenda foret. 4. Ut pœnitentia à Confessario imposita non tantùm cum magna humilitate, animique æquitate accipiatur, sed etiam cum pari promptitudine, fervore, ac devotione impleatur, atque ut tantò copiosior sit satisfactio, etiam spontaneæ satisfactionis opera jungantur, aut etiam satisfactionum Christi & Sanctorum ex thesauro Ecclesiæ applicatio per indulgentias obtentas impetretur. 5. Ut, ubi confessio dicto modo peracta fuerit, omnis de facta remissione sollicitudo cum magna in divinam bonitatem fiducia deponatur, & Pœnitens exemplum D. Pauli secutus, omnium, quæ retrò sunt (peccatorum maximè in confessione explicæ

plicatorum oblitus, ad anteriora (id est, novæ vitæ instituenti-
dæ studium) se convertat, & de præteritis peccatis nihil nisi
dolorem, pudorem ac fervorem, ut alibi dictum est, retineat.
Quæ omnia ut tantò accuratiùs, promptiùsque observentur,
proderit saluberrimam adhortationem S. Francisci Salesij p. 1.
Introduct. ad vitam devotam c. 19. sibi applicare, ubi sic lo-
quitur: Hoc unum porro, *charissima Philothea*, hic te rogo, ne
ullo inani timore turberis, aut anxieris. *Scorpio*, qui nos ferit,
dum ferit, *venenatus est*; at in oleum liquidus, præstans est ad-
versus proprium morbum & aculeum antidotum ac remedium.
Peccatum non aliter probrosum ac infame est, nisi, dum admittitur;
at in confessionem ac penitentiam iam conversum, hono-
rabile ac salutare est. *Contritio* quippe ac confessio tam sunt sa-
lutares, tamque bene redolentes, ut peccati turpitudinem era-
dant, & illius fœtorem tollant. *Simon leprosus* *Mariam Magda-
lenam* dicebat esse peccatricem; at non sic *Salvator*, nec iam de
commissis peccatis, sed tantùm de unguento, quod effundit, deque
magnitudine charitatis eius loquitur. Si verè humiles simus,
Philothea, infinitè nobis peccatum displicebit, quòd *DEVS* per
ipsum offendatur; at eiusdem accusatio suavis nobis erit ac in-
cunda, quòd per ipsam *DEVS* honoretur. *Alleviamentum* quod-
dam in morbo est malum, quo premeris, *Medico* minutim dete-
gere, & aperire. Cùm ergo ante *Patrem tuum Spiritualem* ve-
neris, in monte te *Calvaria* agere, & sub *IESV Christi* crucifi-
xi pedibus consistere fingito, cuius pretiosus sanguis undequaque
effluit, & exuberat, ut te ab omnibus iniquitatibus tuis emun-
det, ac lavet. Nam tametsi ipsissimus *Salvatoris IESV Sanguis*
non sit, est tamen sanguinis eius effusi meritum, qui *Penitens*
circum confessionalia abundantissimè irrigat, levat, & resper-
git. Bene igitur ac sincerè cor tuum aperi, ut sic peccata per con-
fessionem eodem egredi facias; nam quantum illa egredientur,
tantùm pretiosum passionis divina meritum illuc subingredietur,
quo benedictione id repleat.

Qu. 10. An in confessione generali explicari debeat, qua pec-
cata quis nondum confessus sit? R. ita quidem sentire Tho-
mam Hurtado & Turrianum apud Dianam p. 11. tr. 6. ref. 22.
cc. & videtur approbare ipsa praxis piorum Christianorum,
passim confessioni generali particularem peccatorum ab ulti-
ma confessione factorum explicationem præmittentium; con-
trariam

trariam tamen sententiam longè communiorem esse, ideòq; securè etiam praticari, uti expressè docent Suar. Sanch. Lugo, Bonac, Coninck & alij, quos refert, & sequitur Dicastillo d. 9. n. 147. cum enim ex una parte circumstantia illa (quòd peccatum nunquam antea explicatum sit) non mutet speciem, nec aggravet; ex altera verò parte eandem exprimere interdum sit difficile admodum Pœnitenti, merito dicitur, non esse hoc onus imponendum Pœnitenti, nisi gravis aliqua causa urgeat, qualis quidem hîc neutiquam apparet.

Qu. 11. *An saltem omnia peccata mortalia iam semel explicata in confessione necessario iterum explicari debeant in confessione generali?* R. negativè Lugo d. 16. l. 2. n. 56. & Dian. p. 3. tr. 4. re. 86. quos refert, & sequitur Jo. de Dicastillo contra Victorinum & Ledesman ib. cc. cum enim talis Pœnitens ponat omnia essentialia ad confessionem, rectè infertur, eum legitimam quoque confessionem facere, licet non omnia peccata mortalia, quæ olim jam confessus est, explicet; per hoc tamen nolo negare, Religiosos illos, qui peculiaribus statutis ad confessionem generalem annuam obligantur, non satisfacturos huic obligationi, si omnia graviora peccata ab ultima confessione generali perpetrata non explicarent, cum absque tali explicatione finis, ob quem generalis confessio à Fundatoribus præcepta est, scilicet directio, & auxilium particulare Pœnitentis obtineri non queat.

Qu. 12. *An numerus in confessione generali sollicitè inquirendus, & explicandus sit?* R. ex dictis priori quæstione satis patere, per se & virtute Sacramenti non esse obligationem ad numerum in talibus confessionibus explicandum; si enim non est obligatio ad omnia mortalia explicanda, nulla sanè apparet ratio, cur ad numerum explicandum quis obligatus censeri debeat, si eundem in prioribus confessionibus jam semel explicavit. Dixi tamen per se: quia Religiosis peculiari lege obligatis ad confessionem generalem omnino suadendum est, ut numerum saltem in gravioribus addant, quò melius à Confessario cognosci & dirigi possint.

Qu. 13. *An suadendum & permittendum sit, ut confessiones generales iuxta varios Catalogos, in quibus peccata enumerantur (Speculum confessionis communiter vocari solita) instituantur?* R. cum crebra experientia doceat, ex ejusmodi speculis plus

plūs detrimenti & turbationis, quàm emolumentū reportatū, in communi non suadendum usum illorum, sed eorum potius praxin imitandam, qui decem præcepta Decalogi, & quinque præcepta Ecclesiæ percurrentes juxtā eorum ordinem indicant, quid cogitatione, verbo, aut opere contra eadem peccarint; uti ex subjecto Catalogo videre est, in quo pleraque ejusmodi peccata ordine paulò antè indicatō enumerantur. Itaque excutiat Pœnitens, & seipsum quærat.

Circa primum Præceptum.

1. An non in rebus fidei hæsitaverit, vel aliquem articulum omnino negaverit?
2. An non diffidentiam aliquam, aut pusillanimitatem contra bonitatem divinam admiserit?
3. An non res creatas inordinato amore profecutus sit, sicque DEUM purè, & ex toto corde non dilexerit?
4. An non adversa animo impatienti, & divinæ voluntati parùm conformato exceperit?
5. An non ob aliquod donum naturale vel supernaturale superbierit, suisque illud viribus aut conatibus adscripserit?
6. An non contra Religionem & honorem DEO debitum, res divinas aut sacras irreverenter tractarit?
7. An non preces suas cum culpabili distractione ac irreverentia peregerit?
8. An non Sacramenta sine debita præparatione, reverentia ac fructu susceperit?
9. An non in cultu & obsequio tepidus & inconstans extiterit?
10. An non in SS. Patronorum veneratione & amore remissus & inconstans fuerit?
11. An non aliquo superstitionis genere DEUM & Sanctos offenderit?
12. An non debitas DEO pro acceptis beneficiis gratias persolvere neglexerit?

Circa primum Præceptum.

13. An non DEUM vel Sanctos illius blasphemarit?
14. An non temerario quodam juramento vel perjurio DEUM offenderit?

15. An

15. An non votum aliquod DEO aut Sanctis oblatum transgressus sit?

Circa tertium Præceptum.

16. An dies Festos violaverit faciendo, vel mandando opera servilia sine debita causa?

17. An neglexerit audire Missam integram diebus Festis, vel aliis causam dederit negligendi?

18. An per notabile tempus sub Missa fuerit voluntariè aut culpabiliter distractus?

19. An debito tempore & modo jejunia observârit?

Circa quartum Præceptum.

20. An Superioribus suis, Parentibus debitam reverentiam exhibuerit?

21. An Superiorum mandata licita transgressus fuerit?

22. An de Superiorum suorum vitiis, & ordinationibus murmurârit?

Circa quintum Præceptum.

23. An Proximum suum cogitatione, id est, odio, invidiâ, suspicione vel iudicio temerario offenderit?

24. An eundem læserit verbo, hoc est, maledictione, inhonestis agnominibus, convitiis, irrisione, subsannatione, murmuratione, detractioe, mordacibus aut asperis dictis, consilio, iussione, laudatione, seminatione discordiarum.

25. An opere aliquid contra eundem admiserit, hoc est, plus æquo iratus fuerit, correxerit, percusserit, vulnerârit, mutilârit, occiderit, damnum in fortunis intulerit, inhonorârit, scandalizârit &c.

26. An domesticos suos non neglexerit, debitam sustentationem, educationem, correctionem negligendo?

27. An non immoderato cibo vel potu sibi ipsi damnura intulerit, vel omnino inebriando, usu rationis privaverit? aut alios ad ebrietatem hortando, vel cogendo, vel præcun- do incitârit?

Circa sextum Præceptum.

28. An cogitationes impuras voluntariè accersiverit, vel
Instruct. V. cum

cum morosa delectatione iisdem inhaerit? aut consensum dederit?

29. An verba lasciva cum delectatione, aut voluntate peccandi protulerit?

30. An opere ipso contra castitatem peccarit, hoc est, literis amatoriis, osculis, amplexibus, tactibus, copulâ, mollitie, aut alio vitio contra naturam?

31. An fidem conjugii servaverit?

Circa septimum Praeceptum.

32. An habuerit voluntatem determinatam accipiendi aliquid injustè, vel retinendi?

33. An actu aliquid abstulerit, & quantum?

34. An rem alienam retineat sine voluntate Domini? aut restitutionem, ad quam sub mortali obligabatur, neglexerit?

35. An emendo, vel vendendo fraudem commiserit?

36. An Usuram vel Simoniam patrârit?

37. An lusu immoderato, aut injusto peccarit?

38. An auxilio, aut alia ratione ad furtum vel rapinam cooperatus sit?

Circa octavum Praeceptum.

39. An mendacium jocosum, officiosum, vel perniciosum dixerit?

40. An promissum aliquod implere neglexerit?

41. An alteri falso corde adulatus sit?

Atque hæc sunt potiora peccata, circa quæ non ipse duntaxat Pœnitens sese examinare, sed etiam Confessarius interdum ipsum interrogare potest. Certè experienciâ crebrâ compertum est, non leve solatium Pœnitentes hausisse, si in ejusmodi confessionibus generalibus Confessarius ipsorum officium in se susceperit, & varias quæstiones formando commissorum peccatorum memoriam refricârit.

Qu. 14. An, & qua pœnitentia in confessionibus generalibus sit imponenda? R. non esse quidem obligationem per se, pœnitentiam aliquam pro his peccatis imponendi, (ne idem peccatum bis puniatur) quia tamen ordinariè aliqua nova antiquis junguntur, saltem pro his pœnitentiam aliquam leviozem imponi posse, & debere, nisi propter explicat

tionem novorum seorsim factam graviozem aliquam paenitentiam imponendam esse constaret.

Qu. 15. An, & qua adhortatio post confessiones generalès subiungenda sit? R. cùm nunquam ferè meliùs animus Pœnitentis dispositus sit ad Confessarii correptionem & adhortationem recipiendam, quàm hoc tempore, quo animus per dolorem de peccatis, amorémque ob beneficium remissionis conceptum emollitus, omnem facillè figuram, quam Confessarius imprimere voluerit, recipiet, ideo non negligendam ei esse tam præclaram occasionem, consiliâque salutaria, prout in Domino opus videbitur, opportunè & prudenter suggerenda; maximè verò conducet unum ex explicatis vitium seligere, atque ad illud debellandum tum exhortari efficaciter, tum aptis etiam mediis, armisq; Pœnitentem instruere, quem in finem si suas etiam illi preces Confessarius sponderit, non modicè sanè illum delinquitum, atque in Domino recreatum dimittet.





INDEX TITVLORVM

In hac Instructione.

P A R S P R I O R.

Instructionis practicæ generalia principia ad confessiones ritè audiendas complectens.	Fol. 1.
CAP. I. De Virtutibus Confessario necessariis.	ibid.
CAP. II. De Potestate Confessarii.	4
CAP. III. De Scientia Confessarii.	5
§. 1. De Scientia Potestatis.	6
§. 2. De Scientia Iuris.	15
De prima obligatione <i>Ad interrogandum Penitentem.</i>	16
De secunda obligatione <i>Ad obligandum se sententiæ probabili Penitentis.</i>	23
De tertia obligatione <i>Ad instruendum Penitentem.</i>	25
De quarta obligatione <i>Ad dolorem Penitentis procurandum.</i>	32
De quinta obligatione <i>Ad restitutionem imperandam.</i>	35
De sexta obligatione <i>Ad penitentiam imponendam.</i>	38
De septima obligatione <i>Ad exhortatiunculam faciendam.</i>	50
Praxis variarum adhortationum.	53
De octava obligatione <i>Ad remedia præscribenda.</i>	63
<i>Remedia contra Superbiam.</i>	66
<i>Remedia contra Avaritiam.</i>	68
<i>Remedia contra Invidiam.</i>	69
<i>Remedia contra Gulam.</i>	71
<i>Remedia contra Luxuriam.</i>	72
<i>Remedia contra Iram.</i>	73
<i>Remedia contra Acediam.</i>	74
De nona obligatione <i>Ad Absolutionem dandam.</i>	76
De decima obligatione <i>Ad Sigillum Confessionis servandum.</i>	80
De undecima obligatione <i>Ad Confessiones actu excipiendas.</i>	83
	De

Index Titulorum.

De duodecima obligatione <i>Ad errores in confessione audienda commissos emendandos.</i>	94
§. 3. <i>De Scientia facti.</i>	96
<i>De peccato mortali in genere.</i>	97
<i>De peccato veniali.</i>	99
<i>De circumstantiis peccatorum.</i>	ibid.
<i>De numero peccatorum.</i>	100
CAP. III. <i>De Prudentia Confessarii.</i>	101
§. 1. <i>De Prudentia Confessarii quoad propriam Personam.</i>	102
§. 2. <i>De Prudentia Confessarii circa Penitentes exercenda.</i>	105
§. 3. <i>De Prudentia Confessarii circa alias Personas.</i>	106
§. 4. <i>Quomodo supra dicta doctrina in praxin sint recidigenda.</i>	108
§. 5. <i>Quid Confessario post Confessiones auditas faciendum sit.</i>	109

PARS POSTERIOR.

Completens varias doctrinas, quæ à Confessariis in confessionibus particularium Personarum observandæ sunt.	110
CAP. I. <i>Quid circa Confessionem Puerorum & Puellarum observandum sit.</i>	111
CAP. II. <i>Quid circa Confessionem Adolescentum observandum sit.</i>	117
CAP. III. <i>Quid circa confessionem Juvenum observandum sit.</i>	119
CAP. IV. <i>Quid in Confessione Rusticorum, aliarumque simplicium Personarum observandum sit.</i>	122
CAP. V. <i>Quid circa Confessionem eorum, qui integrè confiteri ex pudore, vel pertinacia nolunt, sit observandum.</i>	128
CAP. VI. <i>Quid circa Confessionem inveteratorum Peccatorum observandum sit.</i>	137
CAP. VII. <i>Quid circa Confessionem Personarum piè vivere volentium sit observandum.</i>	153
CAP. VIII. <i>Quid circa Confessionem Hæreticorum conversorum sit observandum.</i>	163
O 3	CAP. IX.

Index Titulorum.

CAP. IX. Quid circa Confessionem Reorum sit observandum.	169
CAP. X. Quid circa Confessionem Infirmorum & Moribundorum sit observandum.	174
CAP. XI. Quid circa Mulierum Confessiones excipendas observare debeat Confessarius.	179
CAP. XII. Quid in Confessione Mutorum & Surdorum observare debeat Confessarius.	186
CAP. XIII. Quid in Scrupulorum Confessione sit observandum.	188
CAP. XIV. Quid in generalibus Confessionibus sit observandum.	201

INDEX MATERIARVM.

A.

Absolutio Sacramentalis quando danda.	76
Absolutio remèdii loco an negari possit.	77
Absolutionis forma quæ adhibenda.	79
Absolutio sub conditione quando danda.	ibid.
Absolutio ab excommunicatione quando dari possit.	80
Adolescentum Confessiones quomodo audiendæ.	116
Adolescentibus à Confessario quid commendandum.	161

C.

Charitas Confessario necessaria.	3
Christus in Confessionibus audiendis quomodo imitandus.	108
Commutatio Votorum quomodo facienda.	14
Confessiones quando ex obligatione audiendæ.	83
Confessiones cur libenter audiendæ.	85
Confessionis audiendæ impedimenta quomodo removenda.	88
Confessiones quibus industriis audiendæ.	90
Confessione absoluta quid faciendum.	109

D.

Dispensatio in causis matrimonialibus quando & quomodo facienda.	10
--	----

Dispen-

Index Materiaram.

Dispensatio in debito petendo quomodo facienda.	12
Dispensatio in votis à quo facienda.	13
Divitiis quid commendandum à Confessario.	158
Dolor Pœnitentis quomodo procurandus.	32

E.

Errores in Confessione admissi an, & quomodo emendandi.	94
Excommunicationes communiore quænam sint.	8
Exhortatiuncula post Confessionem an facienda.	50
Qualis sit facienda.	53

F.

Famulis à Confessario quid suadendum.	158
Fidei Professio ab Hæreticis quomodo facienda.	167

G.

Generalis Confessio quid sit?	201
Obligatoria quando facienda.	ibid.
Spontanea quando suadenda.	203
Quomodo fructuosè facienda.	205

H.

Hæretici quomodo instituendi.	163
Humilitas Confessario cur necessaria.	2

I.

Imperfectionum Confessio an permittenda.	183
Indulgentiæ moribundis quomodo applicandæ.	179
Infirmi quomodo ad Confessionem disponendi.	175
Instructio Pœnitentum an necessaria.	119
Quomodo peragenda.	153
Integritas Confessionis qualis esse debeat.	128
Quomodo procuranda.	130
Judicibus quid commendandum à Confessario.	155
Justitia cur Confessario necessaria.	3
Juvenum Confessiones quomodo audiendæ.	119
Quid iisdem commendandum.	161
Libe-	

Index Materiarum.

L.

Liberis quid commendandum à Confessario. 157

M.

Magistratui quid commendandum à Confessario. 155
Manfuetudo Confessario cur necessaria. 2
Maritis quid commendandum à Confessario. 157
Monialium Confessiones quomodo excipiendæ. 183
Moribundi quomodo tractandi à Confessario. 174
Mulierum Confessiones quomodo excipiendæ. 179
Mutorum Confessiones quomodo excipiendæ. 186

N.

Numerus Peccatorum quomodo indagandus. 100

O.

Opificibus quid commendandum à Confessario. 159

P.

Patribusfamilias quid commendandum à Confessario. 156
Pauperibus quid commendandum. 159
Peccatores inveterati quomodo sint curati. 137
Peccatum mortale quod censendum. 97
Peccatum veniale quid sit. 99
Peccatorum circumstantiæ quot sint. ibid.
Pœnitentia an imponenda ex obligatione. 38
Pœnitentia qualis imponenda. 43.47
Pœnitentiæ commutatio quomodo faciendâ. 45
Pœnitentiæ onus quomodo alleviandum. 40
Potestas Confessario quanta competat. 4
Potestas absolvendi à Censuris qualis competat Confessario. 8
Prudentia Confessario qualis sit necessaria. 101
Prudentia Confessarii circa propriam Personam qualis esse debeat. 101
Quæ

Index Materiavum.

	Qualis ca Pœnitentes.	105
	Qualis ad alios.	106
157	Puerorum & Puellarum Confessiones quomodo audiendæ.	112

R.

155	Rei ad Confessionem quomodo animandi.	169
2	Remedia p peccatis an præscribenda à Confessario.	63
157	Remedia ntra Acediam.	74
183	Remedia ntra Avaritiam.	68
174	Remedia ntra Gulam.	71
179	Remedia ntra Iracundiam.	73
186	Remedia ntra Invidiam.	69
	Remedia ntra Luxuriam.	72
	Remedia ntra Superbiam.	66
100	Restitutio & quomodo imperanda à Confessario.	35
	Rusticorum Confessiones quomodo audiendæ.	121

S.

159	Scientia quis Confessario necessaria.	5
	Scientia Pestatis quid requirat.	6
	Scientia Jis quid requirat.	15
156	Scientia Fti quid requirat.	96
159	Scrupulus id sit.	188
137	Scrupulus quomodo cognoscendi.	ibid.
97	Scrupulum media inutilia.	190.
99	Scrupulum media utilia.	189
ibid.	Scrupulosum fundamenta quomodo evertenda.	192
38	Scrupulosum regulæ.	191
3-47	Scrupulosum Confessiones quomodo audiendæ.	118
45	Senibus qd commendandum à Confessario.	161
40	Sententiarobabili quomodo se accommodare debeat	
4	Confessarius.	23
8	Sigillum confessionis, cur & quomodo servan-	
101	du.	82
	Surdorum confessiones quomodo audiendæ.	186
101	Suspensio usitatores.	9

Inst. V.

P

Testa-

Index Materiarum

T.

Testamentum quomodo ab Infirmo faciendum. 177

V.

Venefici quomodo à Confessario tractandi. 171

Viduis quid faciendum à Confessario. 160


Virginibus quid commendandum à Confessario. 161

Virtutes Confessario quæ necessariæ. 1

Vxoribus quid commendandum. 152


Vxorum Confessiones quâ cautelâ excipiendæ. 181

*Omnia ad maiorem D II
Gloriam.*




7
I
o
i
I
2
I













Th
2562